

DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA DISSERTATIO
autore reverendissimo et celeberrimo Viro GILBERTO BURNETO
SS. Theologiae D. Episcopo Saresbur
ex eiusdem EXPOSITIONE XXXIX ARTICULORUM Ecclesiae
Anglicanae

excerpta, qua utriusque partis momenta exhibentur,
ad promovendam piam in articulo Animorum moderationem
latine versa. Hac secunda editione accedere

ANNOTATIONES

alterius, quibus fundamenta utriusque partis conciliantur, et
pravae consequentiae clarrisimis rerum expositionibus eliduntur.

§1 (a) Notae Subjectae non Rmo Autori opponuntur, sed ad opiniones, ab eo cum suis rationibus et coloribus ingeniosissime et nervosissime repraesentatas unice referuntur.

§2 (a) Cum in hoc capite totius controversiae cardo collocetur, bene de ea sperandum apparet. Nam, siquid iudico, quae hic proponuntur capitales sententiae, etsi discrimen partium passim faciant, adeo sibi invicem oppositae non sunt, ut cohaereant potius et amice conspirent; deprehendaturque sensu rebus convenientissimo ambos simul veras esse. Ut enim Architectus insignis, propositam sibi habens gloriam constructi praeclari aedificii, omnia, quae ingredi structuram debent, sapienter considerat; ita maxime curam omnium habet Supremus Universi Conditor, cujus perspicaciam nihil effugit; neque aliter profecto summae Sapientiae decus tuetur. Sic igitur hic conciliari possunt pugnantes, retentis ipsis Rmi Autoris verbis: Deum decreta sua, hominem (aliasque res) spectantia ab aeterno condidisse, unico hoc proposito, ut (communicatione Boni secundum summas perfectiones suas operando) Gloriam suam attributaque (gloria dignissima) manifestaret; formato eum in finem magno et universali Creationis et Providentiae Schemate; sed consideratis (antequam in actum traduci debere decerneretur) omnibus Agentium creandorum motibus, tum irrationalium caecis et mechanismo materiae connexis, tum rationalium voluntariis, finisque alicuius et mediorum vinculo ligatis; juxta id, quod in

illa possibilitium serie, de qua ad existentiam decernenda quaerebatur, electura et factura haec Agentia proponebantur, in circumstantiis omnifariis, in quibus ea erant collocanda: ut scilicet constaret, utrum haec series possibilitium inter alias innumeras non minus possibles esset, eligenda ac decernenda. Nam si unica tantummodo rerum series esset possibilis, decretum non liberum sed necessarium foret. Hinc etiam certo sensu dici potest, omnia decreta Dei simultanea esse, in signo rationis quoque, seu ordine naturae; et ita inter se connexa; ut nullum sit ab aliorum consideratione absolutum: et tali sensu cessat lis de ordine decretorum, ubi scilicet de tota serie decernitur. Cum hac Quaestione cognata est, non tamen prorsus connexa haec: Utrum Electio Salvandorum (vel quod eodem redit, destinatio salutis ducentiumve ad salutem circumstantiarum internarum externarumque atque adeo gratiae victricis Coronantis) sit respectiva, an potius absoluta a respectibus bonarum vel minus malarum hominis naturalium qualitatum. Et hic fateor aliqua realis inter partes controversia est, etsi bene intellecta nil faciat ad praxim. Vera solutio conciliatioque est DEUM omnia aptissime ordinantem, has etiam Qualitates inprimis respicere; sed iis non alligari, et quantam cuiusque rationem habeat, nobis non omnino constare; cum rationes, quibus omnino movetur, involvant harmoniam totius universi. Add. §9b, c, d.

§2 (b) Bono ergo omine optimisque auspiciis rem aggressi videbimur, quando in illo fundamentali capite compositio evidentissime (ni fallor) successit.

§3 (a) Hanc quaestionem ab explicatione vocabuli pendere puto, adeoque esse mere verbalem, prout alibi latius ostensum est, et non nihil etiam ex dicendis patebit. Sunt diversi in volendo gradus, et autores quidem nonnulli non nisi summum voluntatis nomine dignantur, praesertim, cum de Dei voluntate agitur, quo parum dignos arbitrantur gradus inferiores. Summum autem (decreti scilicet puri, quod non fit sub conditione nec sub modo) adeoque pleni conatus, qui in Deo nunquam successu caret solum admittunt. Sed revera, quot sunt gradus bonitatis in objecto, tot sunt in sapiente gradus seriae voluntatis seu inclinationis ad objectum; adeoque inferiores gradus nullam imperfectionem involvunt. Et cum caeteris

paribus melius sit quam plurimos Christi beneficiis gaudere, dubitari non potest, esse aliquam ad hoc pro omnibus obtinendum seriam et ad objectum nitentem Dei voluntatem; etsi actionis gradus et successus concursu aliarum considerationum sapientiae divinae obversantium partim manifestarum partim occultarum temperetur. Ut enim in naturalibus eodem mobili diversas habente tendentias, motus prodit ex omnibus tendentiis compositus; tam mirabili artificio, ut quaevis totum effectum suum habere censi possit, tanquam se mobile in singulas ex aequo divisisset, posteaque in centrum nisus omnium reuniretur, (Add. infra §32a) ita in eo, qui summa ratione agit, ad omnem bonitatis gradum condigna est inclinatio, eaque nullo prorsus modo frustranea; quod facit, ut ipso concursu effectus compositus totalis optimus formetur. Voluntas partialis quibusdam dicitur antecedens; totalis vero ex omnibus partialibus resultans, non male ab iisdem consequens appellatur, inde usque a Damasceno, quem tamen invenisse hanc distinctionem non apparet. Iam enim Chrysost. Homil. 1 in Ep. ad Epses. c. 1 (etsi fortasse sensu non per omnia eodem) voluntatem primam esse dixit, ut non pereant, qui peccarunt: secundam, ut, qui facti sunt mali, pereant. Quod habet etiam Theophylactus in eundem ad Ephesios locum. Add. §32b, c. Omnes igitur voluntates divinae sunt quodammodo efficaces. Interim absolute loquendo efficaces, vel si mavis effectrices, dicuntur totales illae, quae sine exceptione aut temperamento effectum sortiuntur, et a quibusdam vocantur victrices. Add. §26a, c, §32a, §40a.

§4 (a) Auxilia gratiae sunt vel Efficacia (id est Effectricia) vel Sufficientia tantum. Effectricia utique infallibiliter talia sunt, sed distincta est consideratio efficaciae et infallibilitatis. Efficaciam aliquando habent auxilia per se et sua natura, et vel plenam, ut contrariis circumstantiis elidi non possint (qualia fuisse videntur in miraculosa Pauli conversione) vel sub modo, quia scilicet contrariis circumstantiis non impediuntur. At per accidens (ut sic dicam) efficaciam habent Auxilia, si eam a circumstantiis adjuvantibus mutuentur. Infallibilitatem per se habent ea tantum, quae Efficaciam per se plenam habent, caetera infallibilitatem a circumstantiis vel non impredientibus vel omnino adjuvantibus adeoque (non dei sed rei respectu) per accidens (ut sic dicam) accipiunt. Quaedam denique non ef-

ficacia sunt sed sufficientia tantum, nempe volenti, effectu vero carentia, ubi voluntas deest; hoc enim sensu gratiam sufficientem accipi commodissimum est. Malo etiam ea, quae voluntates certo movent, infallibiliter quam irresistibiliter efficacia appellare; ut integra sit libertas hominis, nec necessitas nobis imposita putetur: neque aliter fortasse rem intelligunt, qui aliter loquuntur. Caeterum aliud sunt Auxilia Gratiae sanctificantis, aliud ipsa Sanctificatio seu inhabitans regenerato Gratia habitualis gratis data, tandemque introducta ope auxiliorum, quae utique irresistibiliter datur uti omne quod datur. Ultimo enim actui omnibus rite dispositis quid amplius resistat? Haec etiam in homine utique victorioso operatur, dum is in hoc regenerationis statu est; etsi plus minusve resistant reliquiae corruptionis. Sed confirmator est, cum ad delectationem pervenit. Omni regenerationi inesse delectationem vincentem vereor, ut experientia approbet. Pulchra habet Augustinus, sed interdum ex diversis ejus locis moderanda et explicanda. Add. §16a, item §9d, §34a.

SCHEMA

I. Auxilia

A) Efficacia in voluntatem

i. infallibiliter seu cum successu sive victricia

1> sua natura vel sola

2> ex concursu circumstantiarum

a. per se ob defectum scilicet circumstantiarum impediendum

b. per accidens ob circumstantias adjuvantes.

ii. fallibiliter seu sine successu, licet alioqui efficacia

1> per se, nisi a circumstantiis contrariis eliderentur.

2> per accidens, nisi a circumstantiis adjuvantibus destituerentur.

B) Sufficientia si accedat voluntas

Cum auxilia ad effectum sunt victricia, decretum effectus est purum; cum successus abest, et auxilia tamen, quantum in ipsis, efficacia sunt, decretum est non nisi sub modo; si tantum per accidens efficacia, esse potuissent, decretum non nisi sub conditione factum dici potest. Caeterum decretum purum esse potest, et gratia victrix, etsi sua natura aut per se victrix non sit. Haec secunda Quaestio, etsi magis realis sit quam prima, in mera tamen contemplatione subsistit.

§5 (a) Tertia Quaestio eo redit, utrum Electi soli et semper in statu gratiae sint. Nempe quidam ita loquuntur, ac si Electus, postquam semel conversus est, nullis peccatis quamvis gravibus gratia excidat. Idemque Electorum discretionem a non Electis contra omnem antiquae Ecclesiae ipsiusque Augustini doctrinam eo usque extendunt, ut neminem nisi Electum et perseveraturum converti vere et fidem sinceram habere posse arbitrentur. In qua novitate docenda neque Scripturam habent faventem, et experientiam naturamque humanam inveniunt reclamantem. Itaque ex horum sententia nulla erit vera fides conversioque temporariorum, nec quisquam scire poterit, se in statu gratiae esse, nisi simul sciat, se in eo perseveraturum. Haec quaestio aliquem in fluxum in praxin habere potest. Add. §13, §58a, §76c. Itaque non despero, benigna interpretatione temperari posse, quae a non paucis durius dicta videri possint.

§6 (a) Primaria illa et fundamentalis quaestio §2 tribus quaestionibus derivatis praemissa in eo consistebat, utrum Deus tantum gloriam suam, an etiam Creaturarum Rationalium Voluntates in decernendo respiceret. Nos dicendum monuimus, alterum in altero involvi. Interim ex hac Quaestione quatuor sequentes sententias natas notat Rmus Autor: in quibus siquid peccatum est, inde ortum deprehendetur, quod divinae gloriae, vel quod eodem redit, divinarum perfectionum ratio satis habita non est.

§7 (a) vel quod idem est perfectionem operandi. Hoc nihil verius.

§7 (b) Sed Deus non decernit nisi ex inspectis rerum naturis. Decretum igitur Dei rerum causa est, etsi sui ipsius ratio non sit, sed proficiscatur pro parte ex ideis rerum in divino intellectu spectatis. Et hoc sensu Augustinus (lib. 15 de Trin. c. 13) non quia sunt, ideo res novit Deus; sed ideo sunt, quia novit. Sed hoc intelligendum interposita voluntate, quam movet intellectus. Itaque idem lib. 6 de Trin. c. 10 Dei Scientiam cum voluntate conjunctam esse causam rerum ait.

§7 (c) Decretum lapsus et omnis mali moralis intelligendum est permissivum: malum per se non inclinat voluntatem divinam, malumque etiam non producitur positiva Dei operatione, sed sola operationis divinae lim-

itatione, orta ex natura creaturarum limitata: hinc ipsius mali causa Deo tribuenda non est. Mala autem poenae etsi punitis mala et in se non expendenda, in universum tamen bona (subsidiaria licet) et justitiae ac sapientiae conformia sunt; sed non decernuntur, nisi suppositis malis culpaе.

§7 (d) interna pariter et externa.

§7 (e) Verum est damnandos inexcusabiles esse. Et concilium Arelatense III illi anathema dixit, a quo statueretur, eum qui perit, non accipere, unde salvus esse posset; scilicet, si vellet, ut par est, uti oblatis. Sed Deum id tantum quaerere suo auxilio, ut homo aliquis inexcusabilis fiat; hoc dictu nimium est, et autoribus quibusdam incogitanter elapsum videtur. Potest dare et dat Deus auxilia per saepe hominibus malis multo plura, quam necesse sit ad inexcusabilitatem; et mensuram illis complendo bonitatem ostendit. Non omnibus tamen ea dat auxilia, nec dare obstrictus est, per quae voluntas ipsa perseveranter flectatur. Praeterea inexcusabilitas damnatorum non pro fine Deo proposita est, sed conditio est sine qua non damnat, (add. §43d) fluens ex oeconomia divinae operationis, quam justitia comitatur. Sane cavendum est, ne Deus gloriam per justitiam manifestare quaerens, curasse dicatur, ut haberet, quos jure damnaret; Ego ab his sensibus abhorruisse ipsos Supralapsarios puto, etsi aliquando verbis incommodis uti deprehendantur.

§7 (f) Hoc quoque prioribus non necessario cohaeret, ut salvandi semper sint in statu gratiae, damnandi semper in statu peccati.

§7 (g) In hoc est defectus oppositionis iam notatus. Deus non potest se ipsum intueri, et omnia ad perfectionum suarum manifestationem referre, quin simul intueatur rerum naturas, quas in suis ideis eminenter habet, et in quibus producendis attributa sua manifestat. Itaque dicendum non est, Deum se ipsum solum modo hic intueri.

§8 (a) Haec doctrina secundae sententiae summatim et sano sensu tota verissima est, cum non dicatur, Deum positive velle peccatum aut aliter, quam ex praevisis vel praesuppositis peccato impenitentiaque velle

damnationem. Hanc etiam doctrinam professi sunt Theologi Brandenburgici et Hassiaci in colloquio Lipsiensi 1630. eique magis favent synodus Dordracena et confessiones publicae Reformationum.

§8 (b) (quanquam non est simplex imputatio sed et realis corruptio mas-sae)

§8 (c) non omnes fateor eruere constituit, decreto pleno seu voluntate victrice: aliquo tamen serio et per operationes quasdam se exserente voluntatis gradu voluisse merito dicitur et erui omnes et Christum pro omnibus mori; neque apparet, quomodo id Sublapsariorum, quos vocant, hypothesei officiat.

§8 (d) recte, si actus positivus, qui scilicet aliquid innovat, opponetur ipsi negativo actus, quo res relinquitur in statu priore.

§8 (e) Sine ulla intentione plena idem decreti puri seu semper successum habentis, si sic interpretere, nihil hic reprehendas. Qui nullam admitit nisi plenam intentionem fere de nominibus litigat

§9 (a) Hic poterat distingui inter Universalistas triplices, nempe Reformatos, Evangelicos, et Remonstrantes, de quo aliquid in praefatione Eximii interpretis. Sed nunc potius visum est ire per summa rerum. Caeterum decretum absolutum compatible est etiam cum Universalismo non modo hypothetico sed et puro, de quo hic sermo est.

§9 (b) Haec quoque doctrina tertiae sententiae summatim et sano sensu tota vera est. Sunt in hac parte, qui simpliciter dicunt: Eligere Deum, quos praevidit finaliter credituros, idque defendi etiam potest modo consideretur ipsam rursus fidem Dei donum esse; nec tolli hoc modo sed differri tantum difficultatem. Quaeritur enim rursus, cur uni prae alio Deus decreverit dare aut dederit auxilia fidei in illis circumstantiis, in quibus effectum salutarem secuturum praevidebat. Sive enim auxilia divina communia omnibus, sive specialia praeterea crediturus statuas, negari certe non potest,

saltem homines circumstantiis distingui, quibus obijciuntur quae faciunt, ut eadem auxilia communia in alio succedant, in alio vero effectui careant. Ut si duorum adolescentum fratrum alter in Turcicam servitutem adductus a fide deficiat, alter domi pie educatus in recta vivaque fide servetur. Hic ergo, in dispensatione mediorum salutis externorum saltem; fatentur et Evangelici recurrendum esse ad το βᾶθος, nec regulas generales Deo praefinibunt. Quis enim (exempli gratia) audeat dicere, omnes eos qui circumstantiis infelicibus objecti perire, etiam in favorabilioribus circumstantiis perituros fuisse? Cum Christus diserte dicat, Tyrios, Sidonios ipsumque Sodomae populum praedicationi magis obtemperaturos fuisse, quam incolas Galileos; aut quis affirmet, neminem Barbarorum, qui in America periree, inter nostros institutione quacunque ad salutem perventurum fuisse. add. §27d. Itaque etsi commodior doctrina videatur, quae Electionem ad salutem a fide praevisa suspendit, quia tamen ipsius fidei requisita et adjutoria tam interna quam externa rursus a Divino arbitrio pendent; saltemque externa in omnibus aequalia esse defendi non potest; non magis sufficiens ad fidem recurrendo ratio electionis redditur, quam si quis (contra) fidei dandae decretum effectorium suspendat a decreto electionis, dicatque cum Augustine, Electionem non invenire sed facere fidelem; Tanquam prior sit intentio salutem quam fidem dandi. Neque enim sufficiens ratio est, quae eget nova ratione. Itaque Formulae Concordiae Autores in declaratione solida art. 9 non male totum salutis negotium, salvationem scilicet cum requisitis salvationis, una Electione complexi sunt, quemadmodum notavit Joh. Musaens in Dist. de Decreto Electionis Thes. 276. Et diserte habet Formula Concordiae decretum dandi fidem, cum ait: decrevit (Deus) etiam se spiritu santu suo . . . in nobis efficacem esse velle. Vel contra ad veram poenitentiam agendum inflectere, eaque vera fide illuminare. Itaque sub Electione comprehendit tam decretum dandi fidem quam decretum dandi salutem. Et non apparet, quid ad

praxim salutarem faciat disputare, utrum pruis intendat potiusque velit Deus; hominem esse salvum, an hominem esse fidelem. Nostri etiam non negant quibusdam, saltem extra ordinem, specialia auxilia gratiae fuisse data, allegantque conversionem Pauli aliaque id genus exempla. Hulse-mannus, qui inter nostros in hoc argumento profundius, quam vulgo sit versatus est, in Brevario theologico, censuit fieri communiter, ut qui inferiore gratiae gradum respiciat, ei superior non offeratur; et ita fieri, ut in effecti maiorem gratiam accipiat, qui reapse convertitur. Hic enim (inquit c. 15) ordo constitutus est a Deo, ut nolit iis, qui primam gratiam praefracte repudiant, majores gradus seu incrementa conferre, Matt. XVIII, 12, XXV, 29, Luc XIX, 25, quo sensu non male ab Augustino dicitur, esse peculiarem quandam gratiae speciem, quam Deus electis praeparavit, tanquam medium assequendae salutis, videlicet insensiolem gradum gratiae seu majus incrementum, quod Deus consequente seu vindicatrice voluntate juste negat iis, qui primam gratiam rejecerunt. Haec ille quae etsi saepe ita se habere concedi possit, nescio tamen, an regulae instar ordinariae constitui patiatur longanimitas Dei, a quo saepius pleriusque pulsatur ianua cordis, et fieri etiam potest, ut aliquando minor majorque gradus gratiae simul a Deo tribuantur. Postremo si distinguas, inter gratiam supernaturalem internam et auxilia naturalia atque externa, non video equidem, cur non defendi possit, priorem in omnibus regulariter aequalem esse, hominesque sua indole ac mediorum salutis externorum congrua dispensatione distingui. Sed vel hanc vel aliam regulam defendere quam as-truere facilius est, praestatque rem totam pro infinita propemodum varietate rationum ac circumstantiarum, justissimae ac bonitatis plenissimae DEI voluntati integram servari.

§9 (c) Certum puto, eum, qui libertate sua bene utitur, salvari; adeoque eum, qui damnatur, libertate sua non esse bene usum. Si tamen sensus esset, Deum non dare gratiam nisi proportionem usus naturalis liberi arbitrii, nimium diceretur; tanquam Deus id solum respiciat. Ita enim inter alia sequeretur, eum, qui diu bene usus est libero arbitrio, semper salvari, cum tamen occulto Dei iudicio fieri possit, ut, qui diu bene vixit, finaliter in apostasiam labatur.

§9 (d) Concedendum haud dubie est, Deum praevidere conditionata,

quomodo scilicet quisque libero arbitrio usus esset, si quaedam auxilia offerrentur; eaque cognitione, ut aliis omnibus, nixum, decernere de oeconomia generis humani ad salutem. Sed non ideo iis assentiri necesse est, qui putant, huic considerationi Deum unice alligari, quanquam ea saepe valere apud ipsum possit. Nam in summa scopus Dei est perfectio operandi, et fieri interdum potest, ut correctio pessimi sit optima; convenitque etiam, ut exemplum interdum statuatur, quo constet, dum durissima corda emollit Deus, ut Paulus de misericordia sibi facta notavit, nemini esse desperandum. Recte nostri et commode causam, cur homo gratiae effectum careat, ab ipsius resistentia petunt: sed non ideo necesse habent addere, minorem semper gratiae effectum esse, ubi major resistentia est. Interdum enim (sed rarius opinor) aucta malitia abundantior gratia affluit, donec resistentia superetur. Deus igitur se praevisioni melioris, vel potius minus mali liberi arbitrii usus naturalis non adstringit, etsi ejus rationem habeat non parvam. Et tunc non ideo homini favet, quasi melior aut minus malus sit, sed quia ita postulat generalis oeconomia, rerumque melior nexus. Nam in universum omnes aequae pravi et ad bonum mortui sunt: quia tamen equalis licet pravitas saltem dissimilis est pro diversitate inclinationum; hinc alii in his alii in aliis circumstantiis minus resistunt; nec minima divinae gratiae pars est hominem in favorabilioribus circumstantis collocari. Caeterim oeconomia Decretorum divinarum circa salutem talis est, ut nullis regulis generalibus a nobis includi possit. Itaque nec auxilia divina semper suae naturae vi victoriosa sunt, imo nec semper per se efficacia, sed saepe per accidens tantum, si ita loqui licet, id est, per circumstantias effectum obtinent: nam alioqui dici diverso sensu potest, nihil respectu Dei id est divinae providentiae, per accidens evenire. Add. §34a. Sed nobis interdum commoda vocabula desunt. Deus autem, dum auxilia circumstantiis accommodat, minori molimine, et ut sic dicam, sumtu praestat destinata, facitque, quod sapiens solet; qui si eisdem ad plura uti possit, diversorumque concurrentium ope effectum consequi, hoc mavolet, quam unicuique operationi causas assignare proprias per se efficaces, ut vel ex automatopoeorum artificiiis patet. Interdum tamen convenit causas proprias per se efficaces adhiberi, irresistibiles raro, quae scilicet tantarum sint virium, ut nulla oppositione contraria elidi possunt.

Plerumque enim sufficit tantas adesse vires pro circumstantiis, ubi adhibentur, ut constet non fore elidendas.

§9 (e) sufficienter scilicet, licet non efficienter.

§9 (f) sed haec optio non unice penes hominem est. Nam et voluntas ad bonum spirituale indiget auxilio divino. Aliqua tamen in decernendo hoc auxilio naturalis arbitrii, ut aliarum circumstantiarum omnium ratio habetur, uti jam dictum est.

§10 (a) Haec doctrina defendi nullo modo potest. Tollit enim divinam omniscientiam, omni potentiam, independentiam, rerumque a Deo dependentiam. Imo nec sapientis laudem Deo relinquit, qui ad instar hominis negligentis in diem vivat, et ex eventibus tantum consilia capiat.

§11 (a) verissimum est, magnam partem huius controversiae pertinere ad Philosophiam, seu ad Theologiam naturalem.

§11 (b) Dicendum est, fieri utrumque: et mirum est, non satis solere considerari περιχώρησιν rerum. Deus operatione sua ad omnem realitatem bonitatemque concurrat, eandemque voluntate sua intendit. Itaque concurrat etiam ad determinationem voluntatis. Interim providentia ejus se praevisis voluntatis motibus, ut aliis omnibus rebus accommodat etiam inanimatis. Hoc non est subijci rebus, nisi quis sapiente aut potius potente indignum putet, aut pro servitutis genere habeat, rationes sequi.

§11 (c) Si fatum certitudinem significat, omnia continentur fato; si absolutam necessitatem, solae aeternae veritates sunt fatales. Etiam priore sensu voluntates non sunt subjectae fato proprie loquendo, sed comprehensae, et pro parte sua faciunt fatum, ut Deus pro toto. Fatum ergo hoc sensu est complexus divinatorum factorum seu decretorum, quae voluntatum creaturarum decreta aliquando supponunt, saltem sub ratione possibilitatis spectata.

§11 (d) certa est, sed salva contingentia et libertate, non necessaria rerum series. Et talis catenae aureae autor est Deus. Itaque ea longe abest ab Atheismo. Add. §14c, d.

§11 (e) In omnibus substantiis est et contingentia et aliqua spontaneitas, in solis intelligentibus libertas. Interim quamdiu naturaliter proceditur, omnia in materia fiunt concatenatione motuum, sed a Deo mentibus ab

initio accommodata, et ad fines etiam morales praeordinata; uti omnia in mentibus naturaliter fiunt concatenatione perceptionum et appetitionum a Deo ad fines etiam spirituales directarum; quae ubi distinctae sunt, et cum ratiocinatione fiunt, finium mediorumque connexionem constituunt. Materiae motus non turbant seriem perceptionum mentibus naturalem, legesve cogitandi, aut volendi libertatem; nec mentis cogitationes aut voluntates turbant leges motuum materiales a natura praescriptas. Unio autem animae et corporis sese ostendit in utriusque seriei consensu a Deo ab initio praestabilito, ut ex propriis legibus in tempore sese invicem accommodent sibi. Atque huc redit systema, quod vocatur Harmoniae praestabilitae quo omnium maxime et divinae providentiae veritas, et humanae mentis invicta suique juris natura in clara luce collocatur. Non male scripsit Hilarius (lib. 9 de Trin.) Deum in primo nascentis animae statu omnes ejus futuras cogitationes legere: secutus opinor Origenem in Genes. cujus verba sunt apud Euseb. praep. Evang. Ita ut revera homo principium in se habeat omnium suarum actionum, nexu tamen inclinante non necessitante: Itaque non tantum principium earum in se, sed et dominum habet, quod non tollitur sed perficitur electione eorum quae optima judicamus.

§11 (f) Catena fixa est et immutabilis non absolute, sed ex hypothesi divinae praevisionis et praeordinationis. Posset quidem mutari, sed non mutabitur: quia Deus, antequam eam constitueret, omnes rationes, quae mutationem suadere aut dissuadere aliquando possent, jam praevidit. Nempe hic quoque omnia sunt praestabilita.

§11 (g) Hac in re ergo sapiebant Pharisei. Judaeorum etiam posteriorum considerationes quaedam non malae, habentur in libro Cosri et alibi passim.

§11 (h) Homines in non nullis quaestionibus prae caeteris ad Fatum Muhammedanum confugere solent. Plerique si ipsis utcumque adhuc valentibus curam sanitatis commendes, respondent, suam cuique diem stare. In bello quoque, in matrimonio ineundo, in genere vitae eligendo aliique, perplexioribus negotiis sponte ab intentiore deliberatione abstinere non raro, et rem affectui aut casui committunt; facileque etiam ad superstitiosa, et ominum captationes et divinatorias artes dilabuntur; Ignorantiaeque suae et negligentiae favent argumento illo, quod veteres jam

ignavum dicebant. Verbi gratia: si mors mea tali die praevisa aut praedestinata est, moriar illa die, quicquid agam aut non agam. Responsio est: morieris utique statuta die, sed non quicquid agas aut non agas. Ages enim, quae te ad illam fati diem ducent. Si alia ages, etiam alia et forte longinquior dies tibi praestituta fuit. Certe si valeret haec ratio ignava, nimium probaret; Nam nec praecipitium similiaque pericula evidentia cavere deberemus aut possemus, si malum aequè statutum est, quicquid agas aut non agas. Tantum ergo sophisma inservit ad palliandam hominum negligentiam circa minora aut obscuriora, aut ea certe, ubi pugnandum est in affectus nostros: nemo enim sanus est, qui non magnum malum evidenter irruens praevalente aliis affectibus metu, declinet, si nullo negotio possit.

§12 (a) Verum est originariam quandam inter animas nostras esse differentiam, nec omnes invicem per se assimilari aut solis corporibus discrimen debere: generatim enim, quae substantiae numero differunt, eas necesse est habere in se differentias individuales. At gradu dignitatis atque origine differre dicendum non est.

§12 (b) Quicquid sit de Origene, cujus sententia forte altioris est indaginis; concesserim, ad beatitudinem supremam omnes animas per se aequè esse indeterminates/indifferentes, non sequitur, sic etiam se habere eas ad aliud genus boni vel mali. Itaque ad salutem determinatio a caeteris circumstantiis pendeat. Per se intelligo locum habere, quae pendent a notionibus specierum, non a notionibus propriis individuorum; vel quod idem est, quae pendent ab explicabilibus, non vero ab infinitis in rei singularis notione comprehensis. Talia enim sunt, quae dicuntur competere per accidens, id est, a circumstantiis et infinito Aristotelico et materia; nec quicquam amplius incertum relinquunt. Add. §27d.

§12 (c) Certum est, proprie loquendo non nisi liberos actus puniri. Interim certum quoque est, non omnia bona vel mala, spiritualia vel temporalia, nobis attrahi per solum liberi arbitrii usum. Non est semper currentis aut volentis. Add. §50a.

§12 (d) Praestabat dicere accommodatam quam subjectam.

§12 (e) Augustini nomine et doctrina abusos quosdam, longiusque pro-

gressos Praedestinatorum haeresin peperisse, ex Prospero quodam Historico aliisque discimus, quemadmodum non male videtur astruxisse Sirmondus vir eximius qui veterem scriptorem contra hunc haeresin sub titulo Praedestinati edidit. Et si sint quidam adversae partis, qui nullam hanc haeresin fuisse putent, sed Augustini doctrinam ab adversariis odiosis nominibus traductam ita usserius et jansenius ipensis et ipsi viri insignes. Ego vero non video, cur non esse potuerint, qui aliquid a Stoicis Manichaeisque trahentes, sustulerint libertatem, Deumque fecerint despotica potestate utentem, quae voluntatem habeat pro ratione; aut etiam mali autorem; cum et recentiores quidam incautius locuti deprehendantur. Illud ad Praedestinatorum Haeresin cuiquam improperandam non sufficit, quod forte sub Praedestinatione non solam Electionem, sed etiam Reprobationem comprehendit. Haec lis enim tantum de nomine fuerit, modo concedatur, Reprobationem non praecedere considerationem culpae. Et praedestinatione tanquam genere, cujus species sint Electio et Reprobatio, usi sunt non uno loco Augustinus, Prosper, Fulgentius, alique ejus temporis partisque, et postea Ecclesia Lugdunensis qui Godescalco faverunt. Interim multis Theologis pijs et prudentibus aptius formaeque sanorum verborum congruentius visum, praedestinationem tantum adhibere ad vitam, (uti etiam in Ecclesiae Anglicanae articulo hujus loci factum est) et non nisi Electos dicere praedestinos, Reprobos autem vocare tantum praescitos. Nam praedestinatio ingerit animo aliquid antea consideratione meriti vel demeriti in genere spiritualium, in eo qui praedestinator. Ideo electis commodius applicatur, quorum ipsi boni actus, quibus ad salutem perducti sunt, divinae gratiae atque destinationi debentur. Reprobatio vero in hominis pravitate fundatur, ut Reprobos magis postdestinatus dici mereatur. Et ipse Augustinus non uno loco Praedestinationem de solis Electis accipit, veluti cum ait: Praedestinationis causa quaeritur, nec invenitur: Reprobationis vero causa quaeritur et invenitur. Quasi diceret, gratuitam esse Electionem sed promeritam Reprobationem. Sed circa vocabula faciles erimus, modo res sint salvae.

§13 (a) Neque tamen omnes Sublapsarios in ea re ab Augustino abire constat; et optandum erat, reliquos hic cum eo reconciliari, cum iste locus prae caeteris totius controversiae maxime aliquid in praxin possit quod bene vidit Augustinus. Add. §5.

§13 (b) Sunt Augustini loca non pauca pro universalitate mortis Christi.

§14 (a) Nescio, annon Godescalcus non nihil excesserit, et ad haeresin, quam dixi, Praedestinationorum inclinavit, eaque ratione Episcopos quosdam in se armavit; et quidem primum omnium Rabanum sive Maurum Archiepiscopum Moguntinum, cujus et contra ipsum scripta extant. Res hodie obscurior est; pro Godescalco stetit Usserius, contra Sirmondus; ambo excellentes viri: illi succenturiatus Mauguinus, huic Cellotius, justis operibus. Nec mirum dubitari nostris temporibus, cum et viventi Godescalco faverint Episcopi in regno Lotharii, dum adversi erant, qui sub fratrum Ludovici et Caroli ditione degebant. Imperatori autem Lothario cum fratribus non bene conveniebat. Scilicet facilius concordia in Ecclesia retinetur, cum in republica pax est. Itaque voluit providentia, ut dogmata Christiana Conciliis Oecumenicis stabilirentur, antequam Romanorum imperium a Barbaris dilaceraretur.

§14 (b) Aliorum Scholasticorum exemplo. Nam haec doctrina Thoma antiquior est, eamque tota, ni fallor, schola defendit, excepto Durando alisque paucis, quanquam et Durandus generalem saltem concursum ad singulos actus admississe videatur. Th. Bradwardinus, qui seculo jam decimo quarto Praedeterminatoribus physicis maxime praelusit; refert, a Stephano Parisienti Episcopo damnatas fuisse has propositiones: causa secunda habet actionem, quam non accipit a prima; cessante prima (a cooperatione) non cessat secunda ab operatione.

§14 (c) Hoc ita capiendum est, ut intelligamus, quicquid perfectionis seu realitatis absolutae est in bonis vel malis, profluere a Deo; resque ita connexas esse, ut ex praeteritis futura non necessario quidem sed tamen certo nascentur.

§14 (d) Eodem res redit cum distinguitur inter necessitatem hypotheticam, ex posita semel atque praestabilita serie, et absolutam; quae posteriori libertas semper salva est. Connexio quoque causarum in mentibus deliberantibus, finium scilicet et mediorum consideratione constans, non est necessitans sed inclinans. In utroque igitur capite merito dissentimus a Bradwardino, cujus velut Ismaelis manum contra omnes fuisse (inducta non obscura necessitate) scribit Grotius, credo, quia Anselmum, Lombardum, Thomam et alios scholae proceres impugnare non dubitavit. Ejus

opinor autoritate et doctrina, excitatus Wiclefus, crudius adhuc omnia ex necessitate evenire mox scripsit: quod dogma vel potius loquendi genus deinde in alios non nullos Romani Dominatus Antagonistas propagatum, sed eruditorum virorum prudentia cohibitum est. Recte Thomas (qu. 23 de veritate, artic. 5) Compossibilia sunt haec: Deus decernit istum salvari, et ipse potest damnari. Sed non sunt compossibilia haec: Deus decernit istum salvari, et iste damnatur. Nempe ita absolute loquendo et in sensu diviso, possibile est fieri, quod certum est non esse futurum. Et Scherzerus (disp. 5 contra Calvinian) cum scientiam mediam defendit, bene agnoscit, non omne, quod infallibile est, necessarium esse.

§ 14 (e) Haec quoque doctrina, quod peccatum sit naturae privativae, iam est Augustini nec spernenda, vide §56b, d §57a infra.

§ 14 (f) Ludovicus Pereir a Dola Capucinus Durandum singulari libro defendit. Idem fecit Bernietius Gallus nuperrime, is qui assendum propagavit et in compendium redegit. Neuter mihi rem pro dignitate explicare est visus: contra Pereiram a Dola scripsit Theoph Raynaudus.

§ 15 (a) Cajetanus tamen Cardinalis et Sylvester Prierias Sacri palatii magister, erant Thomistae. Et passim Lutherus in Thomistas invehebatur: nam ipse Nominalium sectam sequebatur, Thomistae inprimis Reales, scotistae Reales quidem sed luxiores habebantur. Interim in hoc negotio major adversariorum Lutheri pars et a Thoma dissentiebat. Lutherus in Lipsiensi disputatione professus est, se maxime sequi Gregorium Arminensem, qui Augustinianam et ipse ordinis, et Magister ejus fuerat Generalis, et acerrimus Augustini sectator et Nominalis; ut ipse Lutherus et non pauci tunc Theologi Germani post Gabrielem Bielem.

§ 15 (b) atque etiam Doctorum Lovaniensium, ut ex Vargaepistolae patet, ante controversiam Mich. Baji Lovaniensis Theologi, qui postea, cum paulo rigidius scripsisset, ad palinodiam Romae autoritate adductus est.

§ 15 (c) Lainez tamen Praepositus Generalis Jesuitarum, qui Concilio Tridentino interfuit, creditus est jam inclinare ad eorum partem, qui dissentiant ab Augustino. Etsi autem Claudius Aquaviva itidem Praepositus Iesuitarum, veritus fortasse aliquod detrimentum Societatis, si ab Augus-

tini et Thomae sentiendi longius recederent sui, libertatem sentiendi decreto 24 Decembris 1613 restringere voluerit, ut apud Tannerum in Theologiae suae opere de Gratia tractantem (disp. 6) videre est; praevaluit tamen ruptis auctoritatis repagulis (perspecta praesertim Pauli V indulgentia) vetustissima sententia de Electione respectiva, quam plerique ante Augustinum secuti erant. Cum paulo ante et Alfonsus Salmero et Ludovicus Molina ex eadem Societate ab Augustini rigore in alteram partem declinantes, Ambrosii Catharini et Alberti Pighii Sententiam de parvulorum sine baptismo et actuali peccato extincorum naturali Beatitudine extra coelestem Regnum, non omnino autorum anteriorum expertem (etsi paulo ante a Bellamino rejectam) editis scriptis adoptassent; Salmero commentario in Epistolam ad Romanos, Molina in concordia Gratiae et Liberi arbitrii.

§16 (a) Scientia simplicis intelligentiae posset ita sumi ut mediam complecteretur. Nam scientia possibilem involvit eorum connexiones: unde complectitur, quid uno in actum posito esset consecuturum; nec tantum connexiones necessarias, sed et contingentes, seu quae tantum inclinant, neque enim talis causarum series obest libertati. Interim nihil prohibet hanc partem scientiae divinae mediam appellare inter scientiam necessarium et scientiam contingentium actualium seu visionis. Et mirum est doctos quosdam hujus scientiae adversarios negasse futura conditionalia esse determinatae veritatis. Aut enim dicendum est (nullo colore) intelligibilia non esse, aut fatendum, alterutram contradictoriam in tali etiam questione veram esse. Nec refert, si jam olim hac scientia abusi Pelagianizantes. Exempla DEI de conditionalis contingentibus pronunciantis complura producuntur ex scriptura sacra, velut Gen. XI, 6. Ex. XXXIV, 16. Deut. VII, 3, 4. Et 1 Sam. XXIII, 12. et 1 Reg. XI, 2 et II Reg. II, 10. XIII, 19. Ezech. II, 16. Matth. XXVI, 53. Caeterum Praedeterminationis Physicae vox, cujus doctrina est Thomistarum recentiorum, vix viginti annis scientiae mediae vocabulum antecessit, si Molinae ipsi credimus scribenti circa ann. 1570 sic enim fere loquitur: Doctores Hispani qui a viginti annis scripserunt, cum non alium invenirent modum, quo Deus futurorum contingentium certissimam scientiam haberet, praedeterminationes ejus ad singulos actus liberos invexere. Sed cum ipse Molina putaret, hoc modo libertatem de medio tolli, scientiam suam Mediam cum Fonseca propo-

suit. Ita patet, ipsum libertati, sed illos praescientiae consulere voluisse. Et tunc datum est inter Dominicanos et Jesuitas belli Theologici signum. Caeterum nescio, an non melior sit via quam ingressi sumus totam seriem Universi hujus actualis semel ex omnibus universis possibilibus electam considerantes; ita et infallibilitas sibi constat praescientis Dei id quod delegit, et libertas praesciti adjutique hominis, qualem Deus in possibilibus naturis invenit. Tametsi Durandi quoque sequens sententia et verissima sit, et nostrae in sit, qui notavit etiam futura contingentia ex suis causis determinate cognosci, omnibusque perspectis, quae vel impellent vel absterrebunt voluntatem, exinde ab omniscio intelligi, quorsum se sit conversura. Hoc ille recte, (add. §43a) modo adjiciatur, determinationem esse inclinantem non necessitantem; adeoque ut alias ita hic quoque distinguendam esse determinationem (seu certitudinem objectivam) a necessitate, quod male in Cajetano reprehendit Catharinus opusculo de Praescient. et Provid. add. hic §74 et §11e fin. Interim et si Deus eventa in suis causis videat, eo ipso, dum omnes rerum connexiones intelligit; non ideo tamen minus ex alio capite, (totius scilicet possibilis seriei simul spectatae) et causas et eventa aequaliter videt in eodem rationis signo. Caeterum verendum est, ne tota doctrina sive de Physicis Praedeterminationibus ad praescientiam contingentium necessariis (ultra emanationem perfectionum creaturarum a Deo extensa) quemadmodum et sententia, de uno quodam et unice admittendo perfecto auxilio interno actuali per se victorioso; nova sit et post Concilium demum Tridentinum increbuerit, non minus quam scientiae mediae appellatio et expressior usus. Augustinus et Thomas videntur efficaciam gratiae hominem convertentis quae-sisse in variorum auxiliorum internorum externorumque concursu ab omniscio conversionis autore ad hominem convertendum circumstantiasque ita accomodato, ut effectum secuturum esse constaret. Legi mere-tur Thomas qu. 6 de Veritate art. 8. Distinguendaque sunt auxilia ab ipsa gratia sanctificationis, quae eo ipso, quod infunditur, jam est per se effi-cax, victoriosa irresistibilisque; omnibus utique obstaculis complanatis. In universum enim omnis (hoc sensu) infusio, imo naturalis intro ductio qualitatis aut formae, irresistibilis est, nempe hypothetice ex ipso statu

subjecti utique ut par est praeparati: Add. §4a.

§16 (b) quoad auxilia gratiae.

§17 (a) Typis tamen post mortem demum prodiit, cura imprimis Liberti Fromondi.

§17 (b) Libellus est doctrina eloquentiaque insignis, cui titulus: Alexandri Patricii Armacani Mars Gallicus.

§17 (c) Ianseniani (quos vocant) negant in libro Iansenii monstrari posse quinque articulos ab Innocentio X Pontifice Romano damnatos, quidam addunt, saltem ibi non extare eo sensu, quo sunt damnati: cum ipsis fere Augustini verbis niti soleat, quem damnare noluit Pontifex. Tota prope-modum res illa consistit in sensu commodo aut incommodo, quo possibile necessariumque aut horum opposita accipiuntur: ita doctrina logica modalium in Theologicam versa est. add. §35b.

§17 (d) et gratiae per se efficacis sive victoriosae, electionisque absolutae seu gratuitas

§17 (e) Innocentius XII voluit condemnatos censeri in sensu obvio. Itaque qui Augustini et Thomae doctrinam tuentur, dicent, Articulos damnatos non nisi in sensu coacto ad eam accomodari posse. Sed non idem sensus omnibus obvius est.

§18 (a) Clementis IX moderatione, quam imitatus est Clemens X, Arnaldo ipsi eximio viro, etsi alicubi justo acriori, non obscure favens. Cujus in ea re laudabile exemplum secutus est Innocentius XI. Etsi idem et Sfondratum foverit, cum diversa omnia sentire non ignoraret virum, qui Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis posthumum tandem opus reliquit longe ultra Molinam profectum, titulo Nodi Praedestinationis soluti, quod editor in ipsa Roma ab Innocentio XII commendatum scripsit cardinali Albano tunc Brevium secretario, nunc sub Clementis XI nomine Pontifici Maximo; cujus (ut idem editor addit) editionem procurarunt Magnus Hettruriae Dux et Cardinalis Coloredius; cujus autorem non passim concessisse scribendi in hoc argumento libertate dignum judicavit Cardinalium Congregatio; quod approbarunt Doctores et ex Dominicanis etiam ipse Magister Sacri Palatii Bernardinus: ut intelligas, Romam hic stare pro sentiendi

libertate. Etsi postea apparuerit quosdam Excessus Posthumi Operis non placuisse, ut quod innocentia infantum sine peccato actuali decedentium beatitudinemque (ipsius sententia) naturalem consequentium praestet beatitudini supernaturali poenitentium; et quod Deum ignorans mortaliter non peccet. Interim quinque Gallicani praesules, qui ad Innocentium XII contra Sfondratum acriter scripsere, doctrinam, quae parvulos illos a poena sensus eximit, a se non damnari fatentur, cum Thomae Aquinati aliisque insignibus viris eam placuisse constet: videntur tamen et ipsi et alii multi Gallorum Theologi (quod miror) magis hodie inclinare in Augustini rigidior sententiam et Gregorii Ariminensis, qui suo aevo paucos in ea re sectatores habuit, et tormentum infantum dictus est; cujus et Concilii Tridentini Patres doctrinam improbant: solaque Augustini reverentia, ne damnaretur effecit, ut ex Pauli Sarpii Historia intelligi potest. Postremo et in causa Sinensi Roma moderatior visa est quam Sorbonici quidam, ne causa parum cognita magnam gentem Atheismi, ut idolatriae ab antiquissimis temporibus receptae damnaret.

§18 (b) Nuper res iterum in nervum erupit, responso quorundam Doctorum Gallicorum, qui ad exilium vel palinodiam sunt adacti. Et secutae sunt acres in Belgio foederato turbae inter Romanae partis homines, quibus factum est, ut Archiepiscopus Sebastensis etsi vir caetera satis probatus, ob Iansenismi suspicionem gradu Vicarii Apostolici dejiceretur: resque eo processit, ut tandem Ordines Foederati (etsi alterius in sacris sententiae) autoritatem interponere cogerentur. Postremo Clemens XI. Praedecessorum Innocentii X Alexandri VII Innocentii XII decreta, quanta potuit verborum efficacia, confirmavit, sensuque Iansenii damnatas esse propositiones non tantum signari sed et credi iussit, quantum hoc juberi scilicet potest.

§19 (a) Tolerantiam Ecclesiasticam non omnes semper Evangelici Reformati negarunt. Nam ut de Melanchthone et asseclis nil dicam, certe Helwestadienses, Regiomontani, Rintelenses aliique nostri Reformatorum sententias minime damnandas censuerunt; Ducibus inprimis insignibus Viris, Georgio Calixto, et Conrado Hornejo, Brunswicensium Principum Theologis, quorum autoritatem et doctrinam multi alii sunt secuti, qui nec in articulo de persona Christi multum adeo a Reformatis recessere. Iidem

nec a communione Eucharistia eos excludere voluerunt, qui realem praesentiam aut perceptionem sincere admittunt, etsi ea moralem aut corporalem appellandam negent. Severius judicant Saxonici plerique, et alii quoque multi, qui inprimis Praedestinationis doctrina Reformata invenire sibi videntur, quae condemnationem mereantur, tolerantiaeque adeo Ecclesiasticae obsistant. Plerumque tamen condemnationem suam inaedificant non tam disertis doctrinis communibus Reformatorum, quam consequentiis inde deductis et controversis, et quas, ni fallor, Reformati salva doctrinae suae summa vitare possunt. Ex his intelligitur, Evangelicis nostris hactenus in ea re non satis convenire, nec spem deesse, satis fieri posse et jam rigidioribus, prudentibus tamen et bene animatis: luculenta, candida et commoda doctrinae expositione a Reformatis profecta.

§19 (b) Synodus tamen Dordracena rem explicat secundum principia Sublapsariorum, et ipsius pro bona parte Augustini, etsi Supralapsariis notam inurendam non putavit.

§20 (a) non tanquam in quinque articulis errorem Arminius docuisset fundamentalem, sed quod non viderentur tunc commode praefici posse Reformatis Ecclesiis et Scholis, qui ita docerent, praesertim cum alias sententias suspensiones Socinianismi adnoscerent Arminii discipuli non pauci. Alioqui nude Remonstrantes non ejurata sententia ad communionem Reformatorum admitti posse dudum placuit.

§21 (a) nam ipsi Anglicanae Ecclesiae Articuli utrique dogmati locum relinquunt. Loquitur Artic. 17 (qui hujus est argumenti) non nisi de Praedestinatione ad vitam. Dicit quidem Electos vocari et justificari, sed non addit solos. Commendat promissiones divinas, ut nobis in sacris literis generaliter propositae sunt, sequendamque ait voluntatem revelatam, scilicet distinctam ab arcana et semper effectum habente, quam, cum ignota sit, in praxi adhibere non licet. Solicite inprimis notat, Electionem fieri in Christo (quanquam hoc plerique Reformati admittunt) neque adeo decretum tam absolutum fingi debere ut Christi mediatoris consideratio id non ingrediatur. Verissime consilium Dei eligentis nobis occultum in eodem articulo dicitur, nam et Lutherus ad DEUM absconditum hic cum Paul confugit. Et Evangelici quoque Theologi agnoscunt in externis saltem salutis mediis dispensandis locum habere τοῦ θένος, quae utique integrum

Dei consilium in homine ad salutem perducendo ingrediuntur. add. §9b, §30b. Denique nulla in toto hoc articulo enunciatio est, quam Evangelicus sano sensu suam facere non possit.

§22 (a) Hobbesius vir utique peringeniosus, in peculiari libro contra Bramhallum Episcopum et alibi quaedam non spernenda dixit; sed in eo inprimis lapsus est, quod contingentia omni ex rebus sublata, quaecumque eveniunt, absolute necessaria esse putavit, tanquam omnia existantia essent necessaria, aut tanquam sola existentia essent possibilis, quae res delectum et sapientiae usum tolleret in autore rerum; injustis, ineptisque omnibus exituris aequae ac caetera meliora; quale quid etiam ex Cartesii illo dogmate derivatum est, quo materiam omnes successive motus recipere, fortasse incogitanter dixit, quod arripit a Spinoza.

§24 (a) Sed dum seipsum Deus considerat, non potest non considerare possibles rerum ideas; et dum ad suam gloriam omnia dirigit, simul respicit ad rerum perfectiones, quarum productio sapientia ejus ac potentia digna est. Sane possibilitates rerum, cum sint aeternae veritatis, fluunt ex divina essentia; et perfectiones earum actuales, cum in tempore proveniant, oriuntur ex divina voluntate, sapientiae regulis summe conformi.

§24 (b) Deus tamen considerat creaturas tanquam possibles in serie sua, antequam earum creationem decernat; neque ita Deus ab homine dependens redditur, sed divina voluntas accommodatur intellectui divino, in quo ideae sunt creaturarum, adeoque et rerum possibilitates comprehenduntur. Secus foret, si decreta Dei ab actualibus aliarum creaturarum operationibus suspenderentur quod in hominibus aliisque creaturis intelligentibus fieri necesse est, quia omnia in ideis rerum possibilium invenire, et a priori intueri non possunt.

§24 (c) Sed summa et perfecta sapientia non potest prorsus de fine discernere, nisi mediis exploratoris. Finis esto structura aedificii commodi et magnifici. Multis hoc modis obtineri potest: sed Architectus non decernit de forma ejus, nisi mediis inspectis, nempe situ, sumtibus, materiis, operariis etc. Nec quaestio, an aliquid sit agendum a quaestione quomodo, separari potest in sapiente; nisi in iis bonis assequendis, pro quibus alia meliora substitui non possunt, veluti virtute, felicitateque deliberantis, de quibus an expetenda quaerendaque sint, dubitari non debet. Neque sem-

per, quod ultimum in executione sapientis, primum est in intentione: alioqui omnis causa esset propter effectum, cum tamen possit in ea esse, cur per se expetatur. Quin potius sapientis est, qua licet, mediis uti, quae et ipsa sint fines, expetique mereantur: ita augebitur perfectio operum ejus. Itaque non admittenda haec regula est, quemadmodum nec contraria eorum, qui eundem esse ordinem in operationibus et in decretis volunt. Neutra in universum defendi potest, neutra hanc questionem decidit.

§24 (d) Paupertinae sunt cogitationes putantium, Deum manifestare sapientiam, bonitatem et justitiam suam in solo pene novissimo die. Perpetuo manifestat, et perpetuo manifestabit, sed varie in diversis et apud diversos. Interim quod ad genus humanum attinet, verissimum est, scripturam sacram ei praestituere decretorium quendam diem.

§24 (e) Haec doctrina a ratione alienissima est, nec Deo digna. Deus cum sit omniscius, nihil negligit, omniaque prout sunt, considerat. Geometrae reperiunt, etiam infinite parva, etiam si magnitudinibus ordinariis incomparabilia, esse tamen comparabilia inter se; atque hinc etiam plurimum influere in ea, quae infinities sunt majora; ut apparet ex Tangentium et curvedinum consideratione, quae pendet ab infinite parvis inter se comparatis.

§24 (f) id nostrae ignorantiae imputandum est, qui angustis limitibus circumscripti, si parva omnia curaremus, majorum rationem debitam saepe habere non possemus, quod impedimentum in Deo locum non habet. Scio, quosdam etiam ingeniosos homines, cum forte vermem ambulantes obtrivere, ita loqui, tanquam par sit ratio nostri apud Deum. Sed est in ea re quidam, ut sic dicam, Anthropomorphiticus error, non corporis sed mentis respectu; dum ita divinam mentem humanae nimis assimilamus. Quamquam hujus doctrinae autores hunc ipsum errorem dissentientibus objicere soleant. Sed fatendum est, non raro hic utrinque peccari.

§24 (g) Nihil finitum potest magnum aut parvum haberi, pretiosum aut vile, nisi comparatione. Deus, qui res videt, quales sunt, id est, qui videt rerum Analogias et comparationes; simul videt, nos esse creaturas viles re-

spectu multo nobiliorum. et pretiosas ac nobiles respectu multo viliorum.

§24 (h) Sed gloria ejus utique in aptissima operum per decreta ordinatione apparet.

§25 (a) Hoc fundamentum (si ita interpretere, ut gloriam Dei separet a consideratione rerum, quemadmodum quosdam fecisse dictum est) infirmum et pravum est, et divinis attributis vim infert: Itaque spero nulli sapienti hodie placiturum. Et fortasse olim quoque magis calore quodam certaminis quam maturo judicio huc est devenitum.

§25 (b) Contingentia et in se certa sunt, et ideo certo praevidentur. Contingentia pugnat necessitati, non certitudini. Plerique Scholastici consentiunt, futura contingentia esse determinatae veritatis. Objectiones, quae hic exhibentur, ex eo natae sunt, quod vera notio contingentiae et necessitatis non satis esset explicata. Tollere contingentiam non tam Theologorum Reformatorum est, quam Mahumedanorum, Hobbesii, Spinosae. Constat Reformatos Theologos contra Hobbesium et Spinosum in hac ipsa causa non sine Zelo pugnassee.

§25 (c) Futuritio oritur non tantum ex decreto, sed et ex objecto decreti, sumto, ut possibili, sed in quo merat ratio decernendi: quam tamen ipsum voluntatis divinae decretum completam reddit. add. §16a. Futura ergo quodammodo, non tamen plene et aequilibrata ante decretum indifferentia sunt ad futuritionem; habent enim in ipso adhuc possibilitatis seu idealitatis statu nudo rationem, quae inclinatur divinam voluntatem ad decernendum vel saltem permittendum.

§25 (d) Fatentur omnes, esse quandam in contingentibus hypotheticam necessitatem seu pendentem ex hypothese futuritionis, praevisionis, decreti. Nulla ergo hic contradictio est, cum absoluta necessitas negatur.

§25 (e) Praescientia decretum de rei praescitae existentia praecedens et a decreto independens non est pura aut aliquid futurum absolute repraesentans, sed orta ex nuda consideratione possibilem; et existentiam non actualem involvit, sed hypotheticam ut scilicet videatur Deus, quid data re, et datae seriei parte admissa, in toto; et unius in serie temporis statu admissio, in reliquo tempore sit futurum.

§26 (a) Dicere voluntates conditionatas esse imperfectas et Deo indignas, perinde est ac dicere, cognitiones veritatum conditionalium esse Deo indignas, quales tamen sunt in effectu etiam omnes necessariae veritates circa res non necessarias. Nam in sapiente voluntas est analoga cognitioni, et a quavis veritate afficitur pro rata parte realitatis. Minae aut promissiones Dei revera continent tales voluntates, ut Num. XIV, 12 et I Sam. XIII, 13 ubi Deus praeparavit Sauli regnum, si stabit in obsequio. Quae sententia conditionalis est, ut ipse ait Piscator in quaestionibus, ubi ad hunc locum.

§26 (b) Voluntas, ut cognitio, debet accomodari objecto, neque in eo ulla vel subjectio vel dependentia est.

§26 (c) Sunt quidam gradus in voluntate, ut in veritate et cognitione. add. quae supra ad §3. Gradus inferior non excludit superiorem. Voluntas Dei excludendi malum seria est inclinatio, sed non tanta semper, ut perveniat ad summum conatum; quia interdum admissio malo major aliunde perfectio obtinetur. Inclinationes sapientis sunt proportionales naturis rerum. Itaque non semper locum habet summus conatus, qui demum oriri debet causa per fecte cognita ex omnium inclinationum conflictu, ut sic dicam inter se. Voluntas inferioris gradus non statim imperfecta est sed tantum quatenus apud nos fundata est in ignorantia ex impotentia, et inde cum molestia conjuncta; quorum nihil in Deo est, neque etiam in sapiente quatenus Deum imitatur et in Deum resignatur. Deus non nisi modificate vult quae non fiunt; sapiens Dei imitator omnia modificate vult, praeter divinam gloriam et suam salutem.

§26 (d) Bonitas Dei, quemadmodum et scientia, non ultra potentiam extenditur sed ultra actionem. Deus plura potest, scit, vult, (certo volendi modo) quam agit.

§26 (e) Deum aliquid optare incongrua satis locutio est. Posse exsequi quae velit, quis negat? Sed sunt, quae vult modificate tantum.

§26 (f) agnosco, si idem sit optare quod velle pleno conatu, sive adhibito virium extremo.

§26 (g) Hoc loco non est opus recurrere ad figuras. Intellectus et voluntas non figurate sed proprie competunt Deo, nisi cum Spinoza facere velimus. Aliud est voluntas, aliud sunt affectus quos passiones dicimus quae utique

imperfectionem continent. cum earum natura confusam quandam perceptionem involvat. Quaecumque ergo in DEO ad instar affectuum concipiuntur, consistunt in cogitationibus distinctis. Irascitur, id est, vult punire non improvisa crimina; poenitet, id est, vult mutare, quae dudum constituerat ad mutationem perducenda.

§26 (h) Concertatio mihi aliquando fuit cum Clmo Viro Paulo Pelissonio, utrum aliae sint Deo quam nobis justitiae notiones. Huc ipse inclinabat, et Poeta, qui dicit: Sunt superis sua jura. Ego contra contendi: uti quaedam communis Deo et nobis Arithmetica et Geometria est, et quae nobis in eo genere verae sunt, etiam apud Deum valent, etsi amplior sit divina scientia infinitis modis: ita aeternas circa justitiam veritates, quae apud nos demonstratione certa constant, etiam a Deo observari nam et aequitas suis proportionibus continetur. Has regulas violari a Deo nostra tantum ignorantia credi facit.

§26 (i) imo non ob hoc tantum, sed etiam ob majus ipsorum et aliorum bonum.

§26 (k) Tale nihil Deus facit, ne ad tempus quidem. Aliud est conciliari aliquid cum nostris justitiae regulis non posse, aliud conciliationem nobis non apparere ob totam negotii seriem non perspectam; quo casu incivile est de ea judicare ex paucis, ut si quis ex Actis judicialibus mancis et mutilis sententiam ferat. Hic ergo nostra ignorantia non est juris sed facti. Fuere, qui docuerunt, Deum jure absoluti dominii; potuisse in aeternum exitium praecipitare innocentes. Haec sententia Petro de Alliaco tribuitur, videnturque secuti eam Beza, Chamierus, Whitakerus, Amyraldus aliique non pauci. Sed non possunt excusari, nisi explicentur de jure quodam stricto ἀνυπεύθυνος, libertatis a reddenda ratione, (quae facit quod Angli vocant inaccountable) impunibilitatis seu incogibilitatis, irrectractabilitatis, quali posset res judicata, aut quali praetor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit; quae in Deo est etsi iniquum statuere non possit: neminem enim habet superiorem aut qui acta ejus irrita reddere possit. Sed peccant graviter qui justitiam ipsam in solo potentis arbitrio fundant se-

positis sapientiae et bonitatis rationibus; uti vel hinc Hobbisus Omnipotenti jus ad omnia tribuit. Et huc accedunt, qui justitiam a lege, superiore, coactione unice derivant. Sed haec juris imperfecta notio est: perfectae justitiae, Deoque maxime dignae altior origo est, ex confluxu duplicis fontis, Sapientiae nempe et Bonitatis. Ita justitia porrigitur non tantum ad facultatem, (ut cum Grotio loquor) sed etiam ad aptitudinem; nec tantum ad condignum, sed etiam ad congruum; nec tantum quaeritur, an actionem habeat laesus seu remedium juris, sed etiam an habeat causam conquerendi; imo non tantum an Deus satisfaciat aliis, sed etiam an sibi, id est, summe sapienti. Imperfecta valde ea justitia esse debet quae etiam locum haberet, si cacodaemon aliquis, seu malus Manichaeorum Deus omnia gubernaret, contra quem nullum daretur juris remedium, etsi maximae essent conquerendi rationes. At contra Deum neque remedium juris locum habet neque remedii juris necessitas cum nemo intelligit acta.

§27 (a) Etsi Creatura Deo comparata quodammodo pro nihilo haberi possit, ut incalculo infinitesimali quantitatum infinite parvarum additio et subtractio ad ordinarias aut ab ordinariis negligitur: non possunt tamen pro nihilis haberi vel infinitesima vel creaturae, cum comparantur inter se. Et ut infinite parvarum linearum proportionalitates inter se non negliguntur a Geometra, ita creaturarum relationes mutuae ne a Deo quidem: alioqui nihil pulchri futurum esset in productione creaturarum. Add. §24e.

§27 (b) Si gratificatio divina ita libera intelligeretur, ut ratione impellente careret, parum rationi consentanea foret. Abyssus est sed sapientiae, ut pulchre Paulus.

§27 (c) Deus nobis etiam dat facultatem et voluntatem bene utendi. Hoc ergo solis Pelagiani zantibus opponi debet. Gratia Dei etsi per se non esset efficax, sed per circumstantias, non ideo tamen laus et gloria nobis esset debita. Circumstantiae enim illae favorabiles, quibus sit, ut aliquando eadem gratiae mensura in diversis diversam efficaciam habeat, non a nobis veniunt, nec in nostra sunt potestate, sed refunduntur in seriem rerum, id est, partim in intellectum divinum partim in voluntatem. Nam in rerum possibilitate creaturae conditionaliter considerantur ab intellectu divino, una cum iis, quae ipsis convenirent, si existere ponerentur.

§27 (d) non est putandum DEUM per omnia et in omnibus sese eodem

modo erga omnes homines in gratiae suae dispensatione habere aut hoc ab Evangelicis doceri: cum experientia manifeste repugnet, illud defendi potest, Deum voluntate antecedente ad omne bonum tendentem, quo ipso cujusque animae salutem intendere et aequaliter quidem quatenus una aliis melior aut dignior non est, si in se spectentur. Sed quoniam Deus universi curam habet et animae differunt inclinationibus et pro diversis objectis, plus minusve ad prava facilitatis et ad bonum repugnantiae exerunt. Nec patitur ordo rerum, ut cuique aliquae favoribiles pro sua inclinatione assignentur circumstantia hinc fit ut licet divina benevolentia (antecedente) sit aequalis homines tamen ea (consequenter) non eodem modo fruantur. Ita etiam sit aliquando, ut qui magis resistit ampliore affluxu exerentis super circumstantias gratiae expugnetur. Etsi credibile sit saepius fieri, ut ingratitudo hominis gratiam pervacacius respuenti, hujus circumstantialis gratiae postea subtractione puniretur, Deo omnia justissime, et tamen et misericorditer et cum longanimitate dispensante. Itaque Praevisus Deo bonus usus gratiae, vel potius (ex quorundam Evangelicorum sententia) praevisa minor resistentia in quodam concursu circumstantiarum positi, confert aliquid persaepe, sed non semper regulam facit. Deus multa respicit, et interdum durissima corda emollit. Altior igitur (fateor) ratio est electionis, nec uni regulae a nobis comprehensibili adstringenda: et parum credibile est inter tot Americanos a tot seculis Christi ignaros nullum fuisse, qui oblatam gratiam aequè fuisset admissurus ac quidam ex nostris. Si quis ad talia confugit, vix est, ut non videatur cecidisse causa. add. §9b. Non igitur homo solus se discernit in salutis negotio, sed cum homine concursus circumstantiarum aut potius series rerum. De caetero tam necesse est hominem se discernere ab alio, quam necesse est, me non esse te. Profecto enim cognitio et voluntas objecto accomodari debent, ita, ut, quod ejus ab aliis discrimen facit, necessario in rationes peculiare aliquid decernendi de ipso ingrediatur: alioqui decretum ratione niti nequit. Ut adeo jam olim scriptor quidam celebris (Hugo a S. Victore ni fallor) quaerenti, cur Deus Iacobum dilexerit, Esavum odio habuerit, non inepte responderit; causam esse, quod Iacobus non fuerit Esavus. add. §12d.

§27 (e) rectissime dicitur, omne bonum divinae gratiae unice esse debitum. Modo divinae gratiae nomine omnia Dei beneficia intelligamus, gratiamque, tam naturali seu ordinaria via, quam extraordinaria et miraculosa in nos collatam computemus. Nam naturalia bona non minus sunt dona Dei quam spiritualia, et omnis perfectio fluit a divino fonte. Caeterum omne nostrum bonum ita a Deo est, ut omne nostrum malum possit esse a nobis aut aliis creaturis malis.

§27 (f) ita est haud dubie: quis dubitat praeter beneficia Dei universalia dari particularia?

§27 (g) Qui sic ratiocinantur, diversa miscent. Verum est, plus nos petere et plus aliquibus adesse, quam quod omnibus datur; sed ideo non est absurdum, id quod datur, saepe inefficax esse, sive vitio hominum sive etiam impedimento circumstantiarum: inefficax inquam, non quasi omnino sit inutile, sed quatenus id, de quo agitur, non efficit omnino.

§27 (h) omnem Dei gratiam talem esse, minime sequitur ex doctrina eorum, qui decreta conditionata admittunt, vel gratiam per se efficacem negant. Alter alteri nimium imputat: Etsi non desint aliquando, qui in fervore disputandi longius, quam par est, procedunt.

§28 (a) Quotus quisque hominum est, qui in praxi attendat ad has subtilitates? Et, si quis attendet, reperiet, omnia sua bona a Deo esse, omnia mala a se aut aliis pravis naturis; beneficia divina, vel generalia vel pecularia, sibi non deberi; Inter maxima divina beneficia ipsas esse circumstantias, in quibus collocati fuimus, quibus factum est, ut a prava educatione, malorum consortiis aliisque causis seducentibus magis fortasse quam alii quidam, fuimus praeservati, aut occasionibus objecti, quibus magis aedificaremur. Itaque non omnis gratitudo nostra gratiae cuidam internae per se efficaci debetur: neque hoc nisi ab eo statui potest, qui caetera divina beneficia non satis aestimare novit.

§29 (a) Qui sic ratiocinantur, perinde loquuntur, ac si plerarumque creaturarum rationalium notitiam haberemus, cum tamen dubitandum non sit, maximam earum multitudinem per totum Universum esse diffusam, cujus vix punctulum ac ne vix quidem exploratum habemus. Itaque facile iudicare licet ex divinae sapientiae rationibus felices mentes immenso excessu

infelicibus esse numerosiores, et agnoscere licebit amplitudinem regni coelestis (de qua Coelius Secundus Curio libellum scripsit nuper recusum paulo tamen alio sensu) etsi ea ex praesenti generis humani statu non appareat, quem et ipsum nihil necesse est semper eundem manere. Itaque nos, qui non multa novimus, nec nisi exiguum hunc globum, et pauca secula intuemur, inepte hinc judicabimus de consiliis Dei: cum ne illud quidem constet, quid hodie intra animas ante obitum peragatur in hac vita: tantum abest, ut sciamus omnia futuri temporis et futurae vitae arcana. Multi viri pii crediderunt, eos qui tota vita luce quadam necessaria caruere, eam vel in agone habituros. Et cum omnes fere Theologi divinam quandam gratiam internam supernaturalem admittant, multique et infantibus in baptismo tribuant fidem quandam, caritatem plures; cujus tamen infantes nec conscii sunt, nec meminerunt; non video, cur hanc gratiae speciem, etsi parum notam, rejicere certo possint, quae ad huc facilius videri queat; quando, cujus rei conscii morientes fuerint, a mortuis quaeri non potest. Et recte ex eodem principio Thomas de Aquino judicavit, Providentiam cui vis suppeditare media salutis, dum modo ex ejus parte non impediatur; et, si aliquis nutritus in Sylvis inter bruta animalia ductum rationis sequeretur, certissime esse tenendum, quod deficiente praedicatoris fidei Deus ei per inter nam inspirationem revelaret necessaria ad credendum. qu. 14 de veritate artic. 11 ad 1. Et Thom. Bradwardinus (qui ad Archiepiscopatum Cantuariensem ascendit) etsi austerior in libro de Causa Dei habitus non procul initio scripsit: credo constanter, quod Deus pius et justus omni eum amanti prae omnibus, volentique efficaciter ipsum cultu et modo debitis venerari, et diligentiam debitam perseveranter adhibenti, revelet quandoque religionem debitam et necessariam ad salutem, videlicet Christianam, implicite vel explicite. Ibidem putat dici posse quosdam inter idolotras ob bonam voluntatem salvatos, etsi creaturas ut servos Dei coluissent. Quae altioris sunt indaginis.

§30 (a) Oeconomiam sive dispensationem mediorum gratiae externorum involvere aliquid arcani et quantum ad cognititas rationes, absoluti; non pauci Viri docti apud Evangelicos dudum agno vere. Ut jam notatum §9b et §21a.

§30 (b) absolutum, inquam, non ab omnibus rationibus respectibusque sed a cognitis tantum. Ita Aretius loco de Praedestin. p. 18. Divinam voluntatem habere justissimas, nobis tamen plane incognitas praedestinandi causas. Sane fieri non potest, ut omnino stet pro ratione voluntas, praesertim in sapiente; Divinae praedestinandi causae occultae esse possunt, iustitiae et sapientiae expertes esse non possunt, uti Crocius Marpurgen-sis Theologus rectissime dixit post Calvinum.

§30 (c) omnis, quantumvis mera benignitas sapienter agentis ratione niti-tur, inquam ingredi oportet considerationem peculiarem ejus cui pecu-liariter beneficit. Alioqui factum aliquid esset praeter rationem. Itaque necessario aliquid praevisum fuit, relatum ad objectum, quod Deum moverit, etsi non sit dignitas objecti.

§30 (d) liberum, sed cum ratione.

§30 (e) Placuit, sed profecto non sine causa. Placuit id est, visum est bonum in oculis Tuis, vel ut Anglicum hic habet, it seemed good in thy sight. Si ita Deo visum est, certe ita fuit.

§30 (f) Fateor talibus nec semper esse concessa nec semper denegata. Quid plerumque fiat, definire hoc nolo: saepe tamen ad minorem re-sistentiam pro circumstantiis objiciendis respici verisemile putem. Civi-tates Galilaeae majori quidem benefico quam Phoeniciae sunt affectae, sed non majori suo fructu, imo graviore condempnatione. Itaque exemplum eorum non pertinet ad eos, in quibus divina beneficia effectum habent; et vel ideo data sunt, quod majorem in illis effectum pro circumstantiis habitura praeviderentur. Tales autem non sunt omnes, qui convertuntur, sed interdum Deus potentiam suae gratiae in maxime obstitulis exercere decrevit.

§30 (g) Si melioribus, licet simplicioribus utique minus male proclivibus; idque volunt, qui volunt praeferri melius usuarios. Ego tamen fateor, nihil in hoc genere statui posse universale. Non semper praefertur, quod est ab-solute melius, sed quod est aptius ad finem: uti aliquando saxum minus aut irregularius aut deformius, structurae inferitur, quia locum, qui superest, implet. Add. §34b.

§30 (h) Beneplacitum, guth-finden, trouver bon, bon plaisir, vocabula sunt, quae per se ipsa indicant, voluntatem etiam Dei non despotice arbitraria

esse, sed in bono fundatam, et in sapientissimo ex cognitione optimi ortam, et essentialibus Deo legibus justitiae, sanctitatis, aequitatis regi.

§31 (a) Fatendum est, et utrique parti agnoscendum, in quibusdam esse τοῦτο, nec mirum. Ultimae enim rationes recidunt in totam seriem rerum, quae infinitum involvit.

§31 (b) Hoc intelligendum de voluntate plena. quae adhibet summum conatum.

§31 (c) Voluntas signi non debet accipi pro signo voluntatis et quidem simulatae, sed pro voluntate vera signis declarata, etsi minus plena et quae non nisi damno inobedientium effectum rarebit, quanquam hac distinctio alio sensu ab antiquioribus accipitur. At voluntas beneplaciti hoc loco designare potest voluntatem plenam, sed fortasse arcanam ad ipsam obedientiae procuracionem peculiarem vel inobedientiae permissionem, horumque effectus relatam; quam subditos nosse non convenit, nec rerum id ferre solet natura: quae distinctio in deo inprimis locum habere debet, quia simul est Rex mentium, et causa rerum, quod alibi sine exemplo est etsi imperfecta quaedam adumbratio fingi possit in aliis Rectoribus. Caeterum ad ostendendum, posse Deum mandare, quae fieri non vult, solet allegari injunctum Abrahamo sacrificium Isaaci. Ubi Rivet in Genesin statuit, DEUM voluisse affectum non effectum, quam interpretationem non rejicit Scherzerus in disp. Anti Calv. 5. Hoc tamen nolim ad ea Dei jussa applicari, quae pertinent ad actus sua natura bonos et virtuosos, eaque omnia, quae revera antecederent Deum velle consentaneum est, seu quae continent, quod Schola vocat, perfectionem simpliciter simplicem.

§31 (d) quidni etiam de internis, sufficientibus apud homines bonae voluntatis?

§32 (a) et merito quidem. Sed non frustraneum est, quod non omnia assequitur, ad quae tendit. At, inquires, majore certe parte excidit intentio? Sed sciendum est, inclinationes ad bonum praesertim divinas ne tum quidem, si nihil boni, ad quod tendunt, assequerentur, frustraneas fore, quando id

contingit ex concursu aliarum ad bonum inclinationum. Semper enim obtinetur, quod ex concursu obtineri debet inclinatioque postulat in concursu. Adde, quae supra ad §3 sunt dicta. Et mobile, quod ad punctum aliquod remotius tendit, sufficit interdum ad propius pervenire, ad quod utique etiam tendit; vel certe pertingi sufficient ad aliud, licet nonnihil a priore declinans, cui tamen sic saltem magis quam ante acceditur; qua sane in motuum compositionibus locum habent.

§32 (b) Hae merae logomachiae forent. Vere dici potest, Christum pro omnibus fuisse mortuum, ut toties insinuat scriptura, certo paulo ante explicato intentionis gradu; etsi non ad omnes perveniat fructus mortis. Et vere dici etiam potest pro iis tantum esse mortuum, quibus profuit mors ejus; spectata intentione Dei plena seu consequente.

§32 (c) Cum uno loco Deus dicatur dilexisse mundum, alio Christum non orare pro mundo, sed tantum pro Electis, facile intelligitur conciliari ista per diversos volendi gradus. Certum est, Christum etiam pro perditis patrem orasse, cum dixit: ignosce Pater, nesciunt, quod faciunt. Quis enim dixerit eos omnes, quorum studiis et clamoribus cruci affixus est, ad fidem aut ad salutem pervenisse. Itaque apparet, diversimode velle Deum, et similiter diversimode orare Christum.

§33 (a) Praestat forte dicere, implenda fuisse Christi verba in tota sua latitudine, sed non statim seu simul ac semel. Paulatim enim praedicatio Evangelii omnes nationes pervasit aut pervadet.

§33 (b) Nulla plane ratio est huc recurrenti. Etsi non nova sit haec interpretatio, quam alicubi adhibuit et Augustinus quam hic variasse apparet.

§33 (c) at, nisi fallor, etiam Particularistae admittunt, oblationem Christi pro omnibus fuisse sufficientem, valore scilicet suo. Etsi autem satisfactio sit sufficiens, tamen non sunt beneficii participes, nisi qui volunt.

§33 (d) Causae, cur ad omnes non pervenerit notitia Christi aliaque id genus, semper difficultatem parient, sive sacrificii a Christo oblatis vis universalis sive particularis esse dicatur: nec aliud responderi potest, quam

exactissimis justitiae, sanctitatis, bonitatis regulis consentanea esse, quae Deus facit. Si quid contra apparet, id nobis parum nosci.

§34 (a) Certum est, nostram voluntatem concurrere, sed a gratia praeveniente excitatam. Interim in diversis diversus est voluntatis concursus; et majore vel minore gratiae mensura utitur Deus ad movendam voluntatem. Interdum gratia est per se victoriosa, talis scilicet, ut in quocunque cum plerisque impedimentis et circumstantiis sit praevalitura. Interdum est per se efficax, sed ita ut per accidens inefficax reddi possit impedimentis nempe, hominis internis vel externis. Interdum non nisi per accidens sit efficax, ita ut hanc sufficiat non impediri, sed etiam opus sit juvari eam; quod fit cum in hominem incidit in favorabilibus circumstantiis positum. Per accidens hic intelligitur aliquid fieri, non respectu largientis Auxilium DEI, sed respectu naturae ipsius in se Auxilii, cui accedit concurrere circumstantias faventes quibus successus adjuvatur add. §9d. Nec ratio est, cur dicamus, homines uno tantum horum modorum ad conversionem perducere; cum modi tres esse possint: gratiae per se victoriosae, gratiae per se efficacis (quae posset quidem impediri per accidens, sed tamen in praesenti casu non impeditur) et gratiae per circumstantias efficacis. Et fieri potest, ut ipsa etiam gratia victoriosa tantum ad conversionem, non ideo perseverantiam operetur ad salutem. Et frustra nos divinarum viarum parum gnari Deo regulos certas praescribimus, quas sequi debeat, exclusis aliis non minus aptis pro ratione subjectorum et circumstantiarum. Duplex autem Gratia interna est, lux in intellectu, inclinatio in voluntate, quae interdum in quodam suavitatis sensu consistit. Caeterum ut notavit Thomas lib. 3 contra gent. c. 159 licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat.

§34 (b) si comparatio cum massa figuli nimium extendatur, habebit se homo conversione et salvificatione instar trunci. Nec video quomodo ex loco hoc Pauli inferatur, gratiam esse semper absolutam et per se victricem. Hoc tantum innuitur, non nostram dignitatem sed divinam benignitatem esse rationem electionis; neque illud, quo discernuntur homines inter se, sufficere ad salutem. Interim ne figulus quidem plane indistincte

utitur argilla: aliaque materia aut mixtura opus est, cum vasaē majori igni resistere debent. Nec dubium est, Deum materiam aptissime eligere aut praeparare ad structuram civitatis suae: interdumque arenam et calcem, alibi terram coctam, mox marmor adhibere: non nunquam et saxis rudioribus uti; interdumque rejici, quod est naturae excellentioris viliorē praelato, quod magis ad certum scopum facit, velut supra notatum est. §30g.

§34 (c) His verbis maximam vim amoris divini indicavit Paulus. Bonum cum satis percipitur, animum infallibiliter determinat, praesertim si bonum sit maximum. Haec determinatio, quae libertati et spontaneitati vim nullam facit coactio populari sermone, sed improprie appellatur. Et pari sensu Deus dicitur cogi et vinci. Nempe summa intelligentia infallibiliter ex optimi consideratione determinatur: et tanto quisque est liberior, quanto magis sic determinatur. Libertas cum indifferentia aliqua conjuncta est, sed non cum indifferentia equilibrata, ubi, scilicet nulla sit ratio ad alterutrum magis inclinans, qualis indifferentiae status chimaericus est, (ut Buridani Asinus) et fingi potest (ab iis, qui rerum fundum non satis inspiciunt), existere non potest.

§35 (a) Haec sunt verissima et plane ad mentem meam.

§35 (b) Verissime omnia et aptissime, quae in hoc paragrapho referuntur. Hac interim determinatione non obstante Agens liberum manet, non tantum a coactione, sed etiam a necessitate. Unde etiam Thomistae rejectioni quinque propositionum Iansenio tributarum non male assensere. add. §17c. Deus ipse, etsi ad optimum determinatissimus, tamen est liberrimus, non tantum a coactione sed etiam a necessitate. Inclinant rationes sapientem non necessitant. Posset aliter agere, sed certum est, non esse facturum.

§36 (a) Qui homini admit libertatem, is etiam Deo aliquid demit. Conserandum est absolutum Dei dominium, sed abstinendum ab usu Domini Despotico, illaudabili utique et rationis experte. Praetextu divinae libertatis independentiaeque servandae nihil est divinae sapientiae justitiaeque detrahendum.

§36 (b) Internum aliquid et efficax animis indi, cum illuminantur, dubitari non potest. Illud quaeritur, an semper ad salutem debeat esse per se effi-

cax, quod Deus supernaturaliter confert salvandis, an potius fiat efficax demum, si simul cum naturalibus circumstantiis domisque sumatur, quibus animi praeparantur.

§36 (c) Semper rejici externa media, si gratiam (per se) victricem non habeant comitem; nescio quo jure dicatur. Vincere potest gratia, dum incidit in minus resistantem, aut per naturales circumstantias magis adjutum, etsi ex se victrix non sit.

§36 (d) quidni hoc etiam de gratia interna resistibili accipi possit?

§36 (e) Dei aliquid plene volentis proposito quis resistat?

§37 (a) Hanc necessariam consequentiam non agnosco, si scilicet sensus est, eos, qui semel vere conversi ac justificati sunt, semper esse finaliter perseverantes seu electos: Talia dogmata hominum arbitrio recepta sunt, nec ratione vel scriptura firmantur.

§37 (b) Haec omnia nihil aliud efficiunt quam Electos nunquam desinere esse Electos. Deus non est uti homo, ut eum poeniteat. Nec si homo semel conversus iterum gratia excidat, hinc sequitur Deum facti poenitere; non magis quam si semel probus in improbitatem labatur, imo non magis quam si semel vivens aliquando moriatur.

§37 (c) Horrorem incutientia quae dicuntur in scripturis, vera sunt, et hoc quod sequitur vere inculcant: scelesti agentes Dei gratia excidere et daemone sequi; ita tamen, uti aliquando reducendi sint in viam, et ex inferni potestate liberandi, si sint ex numero Electorum. De caetero horror frustra incuteretur ad cavendam totalem Apostasiam, si homines aliquo certo indicio absolute cognoscere possent, se esse Electos. Talibus enim Apostasia haec utique metuenda non esset. Sed quae filialem metum injiciunt curamque in certamine legitime absolvendo, ea suavissimo in piis sensui divinae benignitatis non obstant, quo rapitur animus ad coelestia, et spes ac fiducia salutis stabilitur. Recte Hunnius (Tom. 1 Opp. p. 951) de salute homini vere pio ne tantillum quidem dubitandum est, quantumvis non nisi sub perseverantiae determinatione promittatur, dummodo firmum propositum habeat cavendi sibi a peccatis contra conscientiam. Certus

enim est, si non sponte se a Deo avertat, vi divinarum promissionum nullam creaturam fore tam validam, quae ipsum ex manu Dei eripere, aut a dilectione; quae est in Christo Iesu, separare queat: citatque loca scripturae, in quibus sunt conditionalia promissa. Et Menzer disp. 3 de Elect. n. 264 Certitudo, inquit, absoluta non nisi de eo est, quod aliter se non potest habere: Iam vero qui pro praesenti est in statu gratiae, potest ea excidere et damnari, et alibi: qui est absolute certus, in eo non habet locum timor. Itaque bene Hülsemann supplem. Breviarii c. 14, quod certitudo salutis nostrae a parte Dei est indubitata, sed a parte hominis ante finem vitae non est infallibilis.

§37 (d) Hoc verum est. Perinde enim est, ac si quis dicat, nullum Electorum perire. Sed nihil inde ad rem inferri potest.

§38 (a) Haec sanctitas Electorum intelligenda est, perpetuo debita; Si vero de actu quaeratur, non utique in omnibus semper perdurans, sed tamen finalis et coronans: nec necesse est nescio quam sanctitatem non interruptam inutili doctrinae novitate comminisci etiam in gravissime lapsis; quae adeo nullis indiciis cognosci potest, ut aliquando contraria potius omnia appareant. Et frustra statuitur sanctitas habitualis perseverans in electis; cum experientia constet, semel conversos posse non tantum labi, sed et habitum contrahere criminosa actionum: unde tamen non nulli iterum liberantur. Frustra et sine ratione fingitur, Deum hic a naturae humanae modo et consuetudine recessisse.

§38 (b) uti duplex vocatio alia plurium, alia electorum, quae dicitur secundum propositum: ita quoque duplex justificatio est (non forma quidem sed objecto) una omnium vere credentium (etsi forte iterum excidant) altera electorum. Sed uti vocatio non Electorum sincera est, ita et conversio τῶν πρόσκαιρων vera esse potest. Et velle, nullam esse veram fidem, quae non bono fine coronetur, omniaque beneficia ad solos Electos restringere, est hypotheses comminisci fundamento carentes experientiaeque pugnantibus, et maximae parti Ecclesiae ab antiquo improbatas, neque omnino periculi expertes: quoniam, si non datur certitudo remissionis peccatorum, nisi detur simul et electionis, verendum est, ne vel homines plerosque sem-

per in anxietate versari necesse sit de praesenti suo statu, quandoquidem futuri (nempe finalis perseverantiae) usque adeo certi esse non possunt; vel ne tandem in securitatem labantur, qui electionem certo se scire putant; unde vel desperatio in illis vel vita dissoluta in his consequi posset. add. §42d et §76c. Itaque rectius mediam viam tenentes statuemus (contra Pontificios quidem non paucos) posse nos certos esse nostrae fidei, conversionis, justificationis, quippe ab actibus internis praesentibus pendentium, quorum conscii sumus; et (contra Reformatos nonnullos) non posse nos sine singulari revelatione absolute certos esse nostrae finalis perseverantiae sive Electionis, sed timorem filialem superesse; etsi magna piorum in Christo fiducia sit, quia bonum Dominum habemus.

§38 (c) intellige, finaliter, si electi sumus; item nihil, scilicet extra nos, nil nisi culpa nostra, si semel simus ad Deum sincere conversi.

§38 (d) Ultimas divinorum decretorum consiliorumve rationes nobis imperscrutabiles esse, omnes fateri debent.

§39 (a) Haec nil aliud significant, quam hominem imbecillitatis suae conscius et magnitudinis divinae non ignarus judicare debere, omnia a Deo fieri justissime et sanctissime, etsi nos totius rerum seriei non nisi exiguam partem cognoscentes, et quid faciat et cur faciat, non perspicimus.

§39 (b) Deum in peccatorum permissione, et in ipso ad id, quod in peccato reale est physicumque, concursu non otiose se habere, sed ut omnia ita et peccata regere; Scripturae sacrae locutionibus significatur. Cum autem circumstantiae interdum serviant ad indurandos homines, imo ad pervertendos, circumstantiae autem sint pars seriei universi, cujus autor Deus, sciendum est non ideo peccati autorem esse Deum. Nam in serie hac possibilitium adhuc, ante existendi decretum spectata, jam exhibebantur peccata cum suis causis. Hanc possibilitatem et connexorum possibilitium seriem, non decrevit Deus, sed invenit. Cum vero hanc rerum seriem possibilem elegit prae aliis tanquam omnium convenientissimam, bona in ea proprie voluit, mala intercurrentia permisit: quod ea series optima deprehenderetur, etiam computatis malis.

§39 (c) cum dicitur Act. XIII, 48 credidisse, qui ad vitam aeternam ordinati erant, non captanda sunt verba. Nam non dicitur eos solos credidisse:

imo fortasse nec omnes. Quid enim prohibet, ex auditoribus quosdam non ea concione sed alia posteriore conversos. Dici etiam potest, quotquot ad vitam aeternam ordinati sunt, credere tandem fide coronante.

§39 (d) Doctrina absolutae reprobationis positivae plus dicit, quam necesse est, et pari ratiocinatione defendetur etiam, Deum velle peccatum. Diserte scriptura: Deum nolle mortem peccatoris. Ab hac formula similibusque, divino honori rerumque naturae consentaneis male receditur cum facile aliis scripturae locis concilientur. Sic improbi in mentem reprobam traditi sunt, dum passu se, ut occasiones haberent, quibus augeretur pravitas et exereretur; et ut abessent eae quibus corrigerentur.

§39 (e) Nemo sapiens dicet, poenas a legislatore aequae intendi ac praemia.

§39 (f) Aliud est, non nosse vel cum prius noveris, non cogitare seu oblivisci; aliud non velle cum scias, seu praeterire. Itaque praeterit Deus, quos eum plena seu totali voluntate salvos velle dici nequit. Non vero inde sequitur, enim plena voluntate velle, eos esse non salvos, nisi ob culpam: illud verum est, permittere eum plena illa vel ut vulgo vocant consequente voluntate seu ex omnium partialium voluntatum concursu resultante, ut damnabiles reddantur; quemadmodum et omnia mala, quae in serie possibilitium optima a Deo electa intercurrent, permittit. In hac explicatione nulla admittitur imperfectio scientiae et potentiae, dum conservatur perfectio voluntatis quae est bonitas. Deus quidem nunquam iudicium sui intellectus suspendit, sed de omnibus pronunciat de peccatis tamen quae eveniunt, statuit antecederet non nisi repellendo, consequenter non nisi permittendo add. mox §40b. Caeterum pulchre Keckermann electionem esse actum gratiae; ideo posse positivam esse et absolutam a consideratione dignitatis aut meriti; sed Reprobationem esse Actum iustitiae, ideo non esse sic absolutam, sed merito vel potius demerito inniti. Deus igitur mala culpa permittit tantum, cum consequentiis suis nempe poenis: mala poenae vult, sed praesuppositis culpis.

§39 (g) Fatendum est, Supralapsarios in eo non peccare, quod supra lapsum Adami ascendunt. Nam Deus, cum decrevit permittere peccatum Adami, simul decrevit permittere corruptionem massae, ex qua deinde aliquos rursus ad vitam elegit. Sed peccabunt, qui Reprobationem facient consideratione lapsus priorem.

§39 (h) Decretum permittendi lapsus fundatur in excellentia series possibilem, cui ille inest: et in illa possibili serie inclinatio rerum ad lapsum nascitur ex originali imperfectione creaturarum.

§39 (i) Respondebunt sublapsarii, non sequi, quia Deus circa originem mali et lapsum se permissive habuit, eum etiam salutem tali tantum modo decernere aut rem omnem in hominem conferre; cum illud sanctitati ejus conveniat, hoc non conveniat exuberanti bonitati. Nec apparet, cur Sublapsarius decretum absolutum aut gratiam per se efficacem ad bonum negare cogatur, si statuit, Deum se tantum permissive habere ad malum. Illud bene arguitur, sublapsarios (addo ego alios omnes) voluntatis conditio natus aliquando admittere debere add. §26a.

§40 (a) Non probo eorum artes, qui evitant difficultates quibus premuntur ut adversariis impune insultare possint. Et fatendum est, non sufficere ut de Electione ex massa corrupta disseramus, nisi veniamus ad originem corruptionis et, lapsum Protoplastorum Angelorumque. Et qui doceret absoluto decreto statuisset deum, et omnino voluisse ut Adamus peccaret, (tanquam peccatum per se aliquid haberet quod Placere Deo posset, aut tanquam indifferens saltem sua natura apud Deum esset nec nisi arbitrio divino reatum seu ut puniretur accepisset) is utique in Sanctitatem divinum injurius esset, licet posterorum, peccata ex massae corruptione derivaret. Itaque constare debet ipsam primam originem peccati Deo imputari non posse. Equidem non liberum tantum sed et facilius erat Adamo integra adhuc natura innocentiam tueri. Lapsarum tamen vidit Deus in ea possibilem serie quam in summa aliis praeferendum ob harmoniam universalum judicavit. Hinc apparet ultimam peccati originem imperfectioni originali possibilem creaturarum deberi quae non patiebatur ut a serie tota possibili caeteris summatim potiore omne peccatum abesset. Interim ea peccatis natura est ut in Voluntatem Dei antecedentem non

tantum non cadet, sed etiam ab ea refellatur itaque peccatum per se et sua natura divinae voluntati contrarium est, errantque adeo qui positivo quasi jure statutoque dei solum modo malitatem id suam accepisse putant, quae hoc modo in sola punibilitate revera consisteret. Interim etsi peccatum aversetur Deus, seu voluntate antecedente repellat, non tamen repellit summo conatu: nam et velle Deum et nolle scimus antecedente voluntate, quae tamen in effectum tandem seu consequenter, aut omittit aut permittit itaque ex concursu omnium voluntatum antecedentium, combinato cum possibilitate rerum fit ut consequenter salus quorundam, quam Deus volebat omittatur, et peccatum quod nolebat permittatur; quia voluntas antecedens est modificata tantum; consequens vero denique seu totalis, et pura (a conditione ac modo) et omnino plena est. Add. supra §3a.

§40 (b) Non est dicendum ab ullo, vel supralapsario, decrevisse Deum, ut Adamus laberetur et genus humanum in ipso, sed dici debet, permisisse: et credibile est non nisi permissivum revera decretum etiam multos Supralapsarios intelligere, etsi parum caute loquantur. Interim fatendum est permissionem non esse otiosam, idque cum alios, tum Calvinum voluisse apparere. Generaliter dici potest: quicquid reperitur in effectum, nec tamen est in voluntate antecedente, id in voluntate Dei consequente reperiri tantum permittendo. Caeterum poenae sunt etiam in voluntate Dei antecedente, sed conditionaliter tantum; culpa autem nullo modo. add. §72b. Ex hac jam notione (quamvis fortasse non ita distincte vulgo expressa) aequus iudex intelliget, non effugii causa adhiberi Permissionem aut permissivam voluntatem, sed ab ipsa rei natura afferri; neque ab iis qui de Deo digne loqui, ac formam sanorum verborum sequi volunt, respui posse. Add. §71a.

§40 (c) Libenter affirmabunt, si sapiunt, Deum non decernere aut velle peccatum, cum scriptura dicente: non Deus volens iniquitatem, Tu es.

§40 (d) Hoc sane non male. Homo tunc minus servus erat; interim non plus indifferens erat. Ubi magis confirmatus in bono erit, minus indifferens erit, minusque servus.

§40 (e) imo essentielle discrimen est inter voluntatem et permissionem, ut ex nostra explicatione patet, lit. b.

§40 (f) Deus praescivit lapsum Adami, postquam illam possibilitatem se-

riem tanquam optimam elegit, in qua hoc malum continetur. Bonum autem in serie voluit: malum adhaerens permisit, ut jam saepe notatum. Augustino qui inquisitionem supra lapsum non hominnis tantum sed et Angelorum extendit, visum est lib. 12 de Civ. Dei c. 9 his qui stetero Angelis aut perfectiorem datam naturam aut majus adjutorium. Plurimum tamen et in ipsis fuisse, Deumque et in ipsis et in homine primum liberi arbitrii vires experiri voluisse. Angelos bonos per liberum arbitrium stetisse, Diabolos et hominem pravo ejus usu cecidisse. De corrept. et grat. c. 10 Perseverantiae tamen gratiam tanquam coronam in praemium boni certaminis datam Angelis sanctis, ibidem notat. Ut adeo praedestinationem Angelorum praevisis meritis nixam statuere videatur: non sine gratiae tamen adjutorio ad ipsum certamen; adjutorio autem non quo, sed sine quo non. Nescio tamen, annon paulo amplius aliquid exegerint Pius V et Gregorius XIII Pontifices, cum has propositiones censura notarunt: nec Angeli nec primi hominis merita recte vocantur gratiae; item bonis Angelis et primo homini si in statu illo perseverasset, felicitas esset merces non gratia. Quicquid autem sit de Angelorum in bono constantia, saltem ex libero naturae integrae arbitrio solo est lapsus, causaque mali fluxit ex imperfectione creaturarum connata, antequam continuaretur ex pravitate earum acquisita.

§41 (a) Recte omnino. Sunt enim Regulae justitiae non minus aeternae veritatis quam regulae Geometriae, et apud omnem intelligentem valent.

§41 (b) falsa etiam imaginatio est condemnari quenquam ob peccatum alienum.

§41 (c) Haec decreta et consilia falsa sunt Deo indigna, neque etiam a defensoribus decreti absoluti sane loquentibus admittentur.

§41 (d) Malum et peccatum originem habet ex possibilitatibus. Nam in serie nunc existente, initio spectata tanquam possibili, inerat, nos libere esse peccaturos. Hanc seriem eligendo Deus, ejus naturam non mutavit.

§41 (e) Haud dubie Deus, quantum possibile est, ad maximum bonum maximamque felicitatem tetendit: verbo, optimum elegit.

§41 (f) Existentiae rerum non essentiae vel possibilitates, oriuntur ex de-

creto Dei tanquam prima causa. Itaque omnia oriuntur ex decreto seu voluntate Dei, adjuncto ejus intellectu seu possibilitate rerum.

§41 (g) Deus perfectione operis sui totalis summa delectatur, non vero intercurrentibus imperfectionibus particularium, sine quibus illa non obtineatur. Potest autem cum iis stare illa, si omnibus compensatis sic obtineatur maximum bonum. Ita enim fieri haud dubie statuendum est nobis: alioqui Deus hanc seriem non elegisset. Caeterum res est perinde ut in Musica, ubi non delectant [discordantiae] dissonantiae sed totum, cui intermiscentur.

§41 (h) Nihil frustra aut vane a Deo fit, etsi interdum impraesentiarum scopus obtineri non videatur.

§41 (i) Haud dubie Deus plena voluntate partim ordinante partim permitte, intendit, ut omnia fiant, uti fiunt: idest, nihil Deo vel obrepit inscio vel obtruditur invito.

§41 (k) Hoc fundamentum est solidissimum, et, ut arbitror, omnibus Reformatis (ne exceptis quidem Supralapsariis) admittendum.

§41 (l) certe si nullam divinae justitiae sapientiaeque notionem habemus, quomodo in Deo aut agnoscere eas virtutes aut laudare possemus? Ita sane daremus sine mente sonos.

§41 (m) Hic nimium concluditur: absolutum enim decretum electionis ad vitam cum veris notionibus divinarum perfectionum consistere potest, eo scilicet sensu, quo a nobis ex egregiis apud Reformatos Theologis expositum est.

§42 (a) Non est major hominis libertas quam Dei. At in Deo tantum abest plenam esse indifferentiam, ut potius perpetua sit ad optimum determinatio. Frustra ergo in homine indifferentiam quandam aequilibrii, omnis determinationis inclinantis expertem exegerimus. Statuo interim contingentiam actionis manere, nec necessitatem introduci: hominemque suarum actionum non ideo minus dominum esse, quemadmodum et Deus est dominus suarum, et Angeli beatique, licet confirmati in bono. add. l le.

§42 (b) furiosi et dormientes nesciunt quid faciant, aut cur faciant, nec praemiis poenisque, laude vel culpatione moventur; quod requiritur ad libertatis scopum.

§42 (c) Libertatis gradus necessarius ad poenas et praemia est, ut intellectus adsit bona malaque inter se comparans atque expendens, et facultas secundum deliberata conandi seu volendi: nam alioqui frustra aliquid jubetur aut vetatur, si is, cui jubetur, poenae metu aut spe praemii moveri nequit: id est, si intelligere non potest, majus ex poena malum quam ex peccato commodum esse: aut si ad volendum intellectu suo uti non valet.

§42 (d) Omnia, quae fiunt, certa sunt et hypothetice inevitabilia; nihil necessarium aut inevitabile absolute. Decreta inevitabilia non sunt independentem a liberis actionibus, neque actiones sunt liberae independentem a decretis. Mutuam in his pericorhsin jam aliquoties notavi.

§42 (e) aut necessariis. Equidem si quis nosset etiam hypothetice (seu ex hypothesi hujus systematis) certa, frustra cum iis luctaretur, aut frustra ea ageret, quibus aut mala vitaret aut excideret bonis; quod etiam finalis perseverantiae suae praescientiam omnimodam statuantes considerare debent. Haec vera sunt, quamcumque doctrinam tueare, nisi Deum aut saltem ejus praescientiam tollas. Sed non recte hinc infertur, crimina non debere imputari, aut poenas non debere vitari, cum res sit voluntatis nostrae ac deliberationis. Futura utique futura sunt, sed non quicquid agas aut non agas. Certa quidem nobis est veritas majoris propositionis: Quicquid decretum aut praescitum est, infallibiliter fiet. Sed non veritas minoris. Hoc est praescitum. Ideo syllogismus hic nihil ad praxin: nec ignotorum decretorum infallibilitas quicquam ad deliberationes nostras facit. Prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit Deus. Itaque nec electionis seu boni finis perfecta certitudo nobis prodesset. Interim quod futurum est, non ideo necessarium; neque id quod non est futurum, ideo impossibile est. Et vana hominis argutatio foret, rediretque ad sophisma ignavum, jam veteribus explosum, si quis certitudine futuri peccati, ad excusationem peccati uteretur. Futura tam in temporalibus quam in spiritualibus certa sunt sed una cum nostra electione et cooperatione, culpa et poena. Etsi autem homines ad hujusmodi sophismata proclives sint, quibus stultitiae et ignaviae suae favent: non ideo tamen rejicienda est veritas, qua non nulli per absurdas consequentias abutuntur.

§42 (f) Quidni possimus, quod facimus? Ab actu ad potentiam valet consequentia.

§42 (g) Consideratio libertatis nostrae facit, ut agamus fortiter, quae praestare possumus; consideratio certitudinis, ut patiamur libenter, quae impedire non valemus: Illa ut simus excitati; haec ut tranquilli: Illud prodest pro futuris obtinendis, hoc pro praesentibus ferendis et in usum vertendis.

§42 (h) Explicanda esset definitio libertatis, ne lis sit de nomine. Si libertas in facultate deliberandi ponitur, et agendi, quae post deliberationem statuentur, ubi vires nostras non excedunt; nemo de libertate sua dubitare sanus potest. Si libertas collocetur in omnimodi indifferentia aequilibrii, aut rationis inclinando determinantis experte, chimaerica est et nusquam dari potest. Si denique libertas in dominio illo quaeratur mentis super affectus, plus minusve liberi sumus prout ratione utimur: et hoc sensu homo ante lapsum liberior erat, add. §40d.

§43 (a) Si liberum sit spontaneum cum deliberatione, sejunctum a necessitate, est in nobis omnimoda libertas. Sed si liberum oppontaur servo, tantum servimus, quantum affectibus magis quam ratione agimur; in tantum enim externis subijcitur. Utramque significationem conjunxit Hugo a S. Victore (Summ. Sent. tr. 3 c. 9) Non est (inquit) amissa libertas a necessitate sed libertas a peccato. Recte. Verissimum est, nos potuisse aestum affectuum reprimere, spatium deliberandi sumere, inquirere diligentius, objectum mutare, evitare occasiones invitantes, quaerere contrarias, paulatim in alium transire habitum. Neque umquam in eo statu sumus, ut impossibile sit (absolute scilicet) aliter agi a nobis: etsi omnibus circumstantiis simul sumtis intra et extra nos, certum sit omniscio et infallibile, aliter nos non esse acturos, quam agemus, uti etiam Durandus animadvertit. vid. §16a. Itaque quae de fato, de inevitabile, de irresistibili dicuntur, vera aut falsa sunt, prout accipiuntur: vera si de infallibi, certo, determinato; falsa, si de necessario, aut cujus oppositum sit impossibile. semper inclinamur, numquam necessitamur, quando libere agimus.

§43 (b) Non utique frustraneae sunt promissiones, comminationes, exhortationes, cum eae ipsae saepe causa sint voluntatis, et partem magnam

faciant moventium circumstantiarum. De quo ne illi quidem dubitant, qui necessitatem omnimodam tuentur.

§43 (c) Exhortationes irritae ostendunt; majorem esse malitiam resistentis: etsi hic non sit proprius earum scopus.

§43 (d) Cum damnatio a Deo per se non intendatur, etiam non intendetur damnationis aggravatio. Contra cum a Deo salus omnium aliquo voluntatis gradu intendatur, intendetur ab eo, ut gratia et media gratiae eis prosint, quibus offeruntur. Et cum resistentia illa, qua oblata rejiciuntur, a majore pravitare ad praesentes circumstantias relativa oriatur (absolute enim omnes aequae pravi sunt, licet diversimode pro circumstantiis et objectis, add. §9d.) non solent augere malitiam oblata media sed indicare: adeoque non aggravare damnationem, sed convictionem: quanquam nec hoc inter fines sibi proponat Deus. add. §7e.

§44 (a) Contrariae non sunt, sed disparatae; et de contrariis, sed diverso volendi modo.

§44 (b) Recte Deus numquam decernit, ut peccemus, sed tantum permittit, ut saepe dictum est.

§44 (c) Voluntas Dei, ut non peccemus, saepe est inefficax, et tunc voluntas ejus, quae peccatum permittit, efficax est et infallibilis. Sed nulla est omnino ejus voluntas, ut peccemus, aut quae nos faciat peccare.

§44 (d) Rectissime monetur, eos, qui credunt Deum despotice agere in hominibus reprobandis et ad instar tyranni, Deum representare sub indigno habitu, et homines etiam a sapientia et caritate reddere alieniores.

§45 (a) id est, si actus creaturarum liberi, quos Deus non ipse vult exercere sed juvare tantum aut permittere, non sunt tam independentes nec tam plene ab ipso fluentes quam alii ejus actus; id utique non ex defectu aliquo actus divini oritur, sed ex ordine rerum, qui postulat, aliquid etiam pertinere ad creaturas.

§45 (b) Revera, quicquid absolute realitatis seu perfectionis est etiam in actibus creaturarum liberis, bonis vel malis, a Deo profluit: ita, ut non minus sint a Deo dependentes quoad perfectionem quam continent quam alii omnes. Sed quoad imperfectionem, quam involvunt, a Deo non fluunt.

§46 (a) vel potius summa sapientia.

§46 (b) Talia non nisi in speciem inordinata sunt: altius omnia noscenti ordo et pulchritudo apparet, etiam in his, quae irregularia et monstrosa habentur.

§46 (c) Deus corpora gubernat, ut artifex machinas: sed mentes gubernat ut Rex subditos. Id tamen interest, quod Rex non aequè in animos subditorum influit ac Deus in actus mentium: et commune est corporibus ac mentibus, ut omnes in ipsis perfectiones continue a Deo fluant.

§47 (a) Etiam sine prophetiis, ex ipsa natura rerum judicare possumus, futurorum contingentium esse determinatam veritatem: v. §48.

§47 (b) Fundamentum est in serie sumta ut possibili, quam Deus elegit, et cui haec inesse per spexit add. §16a.

§48 (a) id est, per certitudinem necessitatis.

§48 (b) Etsi nulla sit necessitas futurorum: dicendum tamen est, futura in suis causis quodammodo contineri per earum determinationem saltem inclinantem. Pro certo enim statuendum est, nihil unquam fieri, quin ratio sit in causis, cur potius fiat quam non fiat, et sic potius quam aliter fiat. Add. §16a.

§49 (a) Praescientia conditionata seu scientia media oritur ex simplici Dei intelligentia seu cognitione possibilitatum, etiam earum, quae non traducuntur in actum, quemadmodum supra expositum est.

§50 (a) Verissimum est, Deum facienti quod in se est, non denegare gratiam: et cum dicitur, non semper esse volentis neque currentis; non significatur, eum qui serio velit, non posse, sed non omnem voluntatem sufficere, praesertim si luce careat; neque etiam omnem voluntatem satis esse constantem. Deinde cum adjicitur, non esse volentis hominis sed miserantis Dei; non ideo negatur, data voluntate bona miserationem sequi. Praeterea nec ipsum recte velle hominis convertendi est nisi Deo excitante.

§50 (b) Pro certo statuendum est Deum omnibus dare gratiam sufficientem, ut nemo nisi culpa sua pereat. Interim in quo gratia illa consistat, non semper nobis apparet. Add. supra §29.

§50 (c) add. §27d.

§51 (a) Haec probe.

§51 (b) talis bonitas cum caeteris bonitatibus hujus universi stare non potuit: alioqui exitum habuisset.

§53 (a) Quidni? Eadem est difficultas, sive de singulis sive de populis accipias Paulum: utrobique abyssus sapientiae et divitiarum.

§53 (b) Induratio cum Deo tribuitur, intelligenda est de causis externis circumstantiisque, quas exhibet series rerum, non de interno cujusdam anti-gratiae influxu.

§54 (a) Haec interpretationes longioris sunt discussionis. Interim de rebus ipsis satis per se constat, nobis hic prolixis esse non licet.

§55 (a) Dubium nullum est, quin sit gratia, cui resistitur, et potentia in nobis, quae resistit. Sed non sequitur inde, nullam esse gratiam per se efficacem.

§56 (a) Exceptis forte Remonstrantibus quibusdam et omnibus Socinianis et Socinianizantibus: Caeteri etiam Evangelici, imo et Scholastici Molinistae, non negant concursum Dei cum positivo peccati; imo nec continuam emanationem a Deo eius perfectionis, quae inest in actu peccaminoso.

§56 (b) Peccatum non consistit in mera negatione, sed imperfectio tantum peccati est quiddam negativum ut tarditas corporis impulsus impressionem impellentis refringit. Vis est ab impellente, tarditas a recipiente, nec aliud est quam privativum.

§56 (c) Cum Deus Physice praedeterminat hominem, hoc intelligendum est quoad perfectiones actus, et quatenus possibilitatibus tribuit realitatem.

§56 (d) Deus non est autor peccati vel actionis peccaminosae, ut impellens non est causa tarditatis. Navis, quae a flumine defertur, eo tardius movetur, quo magis onerata est. Vis ergo est a flumine impellente, tarditas ab inertia impulsus.

§57 (a) Creatura se ipsam determinat ad actionis imperfectionem, ut massa impulsa se determinat ad tarditatem. Intelligentes creaturae se determi-

nant voluntarie, caeterae quadam bruta ratione. Beneque Augustinus et Thomas (vide hunc 1. 2. q. 9 art. 9) animam dum impressis a Deo in creaturas vestigiis incitatur ad summum bonum, inertia sua et velut mole destituere impetum et adhaerescere creaturis. Ex quo colligo opus esse vel a Deo augeri impulsus pro praevisis impedimentis, vel minui impedimentorum occurrentibus resistentiasque aut adhaesiones.

§58 (a) Humanam naturam a Gratia ita fuisse immutatam, ut ejus respectu mutabilis esse defierit, nulla ratione nititur, et novo miraculo indiget, quod nulla nos revelatio docet. Omnis habitus sive naturalis sive supernaturalis in hac vita contrariis actionibus labefactari potest: nam et supernaturalis, licet origine talis sit, subjecto tamen eodem modo inest ut naturalis, et cum recipiat augmentationem a piis exercitiis, recipiet etiam diminutionem ab exercitiis contrariis: quod nimis verum esse experimenta quotidiana confirmant. Qui secus sentiunt, et rationem et experientiam, et scripturam et perpetuum totius Ecclesiae Catholicae consensum habent reclamantem; ut mirum sit, quemquam huc opinionis devenire potuisse, qua nullam putaret veram esse conversionem nisi perseverantium atque electorum. Sed fortasse magis dissensus est in verbis quam in rebus, quod vellem.

§59 (a) Modierni sectatores Calvinii contingentiam futurorum (credo) non negant, adeoque nec contingentium praescientiam.

§60 (a) Quoniam scilicet pro magna parte utrinque simul stat veritas, sed in diversis.

§60 (b) Magis hic erratur in alienis rejiciendis quam in propriis asserendis.

§60 (c) Facile conjungi possunt probarique potiora momenta utriusque partis; abstinendo a quibusdam excessibus, quos multi ejusdem partis non probant.

§61 (a) Recte additur: facile. Nam alioqui putem, nihil esse pro vero tenendum, quod objectionibus prematur, quibus responderi non possit. Quo enim, quaeso, jure aliquid pro certo demonstratoque admittimus, nisi quia argumentis, quibus firmatur respondere non possumus? Quo ergo jure stabilitur affirmativa, eo stabilietur et negativa. Ut autem simul hoc pro af-

firmatione et negatione contingat, vix fiet, nisi apud hominem valde imbecillem, qui alternabit sententiis, ut ineptus ille et jocularis in Comoedia judex. Secus tamen se res habet, cum utrinque verisimilibus argumentis certatur, quae saepe in aequilibrio esse videntur, cum desit nobis statera rationum.

§62 (a) Deus etsi independens, agit tamen secundum rerum naturas. Absoluti dominii pro despotismo accepti idea falsa est et Deo indigna, si nempe ultra summae potentiae attributum ad jus extendatur: tanquam jus esset in potentia, veluti Poeta Tragicus ait: jus est in armis. Sane apud Deum, quod libet, licet: sed illi non libet nisi sapienter, juste, sancte agere.

§62 (b) Objectiones insolubiles veritati opponi non possunt.

§63 (a) Miror a multis opponi infinitam perfectionem et independentiam bonitati caeterisque divinis virtutibus, tanquam ulla ratione inter se pugnare videantur.

§64 (a) Mihi videtur neutram ex his viis alteri esse praeferendam, sed ambas pari jure conjungendas.

§64 (b) Interim fieri nequit, ut utraque pars ex certis principiis per legitimas consequentias opposita ducat. Ergo defectus erit aut principiis aut in consequentiis aut in oppositione. Infra §67. Errorem alicubi in consequentiis haerere agnoscitur: sed non raro est et in oppositione, ut aliquoties jam notatum.

§65 (a) Re tamen accurate considerata nulla hic ratio horroris. Gratiam libero arbitrio subjectam phrasis est odiosa. Deum, ut omnem sapientem, sua decreta, sua media perveniendi ad fines decretos accommodare objectis, non est dubitandum: neque hoc est subicere artificem objecto, cum artifex potius objectum, dum ei se accommodat, subjiciat sibi. Meritum mortis Christi non est frustraneum, licet aliquando non plus possit, quam homines volunt ut praestet. neque tamen in ipsis solis est, ut velint. Hominem nunc a Deo dilectum, mox odio habitum, sunt modi loquendi, quorum difficultas explicatione cessat. Deus in homine amat sua dona, fidem, virtutem: odit in homine intestinam corruptionem ejusque effectus. Nihil hic imperfectionis aut impotentiae nisi in phrasi, si incommode, id est humano more accipiat.

§66 (a) Absoluta reprobatio, determinatio necessitans ad peccatum, negatio gratiae sufficientis, merito rejiciuntur, neque ex independentia divina ullo modo fluunt, ex qua nihil sequitur imperfectionis aut injustitiae, nisi incongruae phrases aut durae sine dextra interpretatione adhibeantur.

§67 (a) aut potius diversi ejusdem ideae respectus, unus magis physicus, alter magis moralis: dum alii magis Deum considerant ut Architectum rectoremque universi, alii magis ut Regem mentium; quorum utrumque perfectissime substantiae competit.

§67 (b) Dum scilicet non satis consideratur, Deum omnium rationem habere tanta arte, tantoque successu, ut ipsum universum serviat ejus regno in mentes, mentesque vicissim ornamento universi.

§67 (c) Si quaedam intolerabilia cessent, (uti certe jam tum fere cessare videntur) veluti ab una parte, Deum velle peccatum; velle perditionem absolute, sine respectu peccati; juste posse damnare innocentem, pro jure et ratione stare voluntatem (seu justitiam et moralitatem esse rem arbitriariam) preces, studium et curam frustra adhiberi; negligentiam, licentiam non nocere; Electionem nobis esse absolute certam, seu quicquid agas aut non agas, nec alias certam conversionem: ab altera; Bonos motus non indigere auxilio divinae gratiae; hominem ob meritum suum vel dignitatem divina auxilia obtinere; Deum non concurrere ad actus quosdam creaturarum; futura contingentia non cadere sub praescientiam aut praedestinationem nullam revera Electionem esse seu designationem particularem salvandorum; talia, inquam, si absint in plerisque conveniet inter duas partes, et lites, quae supererunt, non erunt magni momenti.

§68 (a) Interim non sufficit ad veram acquiescentiam in Deo, ut agnoscamus, nos ab eo pendere et in ejus potestate esse; coacta haec patientia est: ita et tyranno acquiesceremus. Sed opus est etiam agnosci, sapientissime eum et justissime agere. Debemus non tantum summissi, sed et contenti esse: hoc postulat amor Dei et fiducia in eo collocanda.

§68 (b) ex sententia adversariorum, sed non satis fundata. Nam id ipsum ut vigilemus, a Deo est, praevisumque profuit in schemate providentiae, et ad bonos effectus a Deo cum caeteris rebus determinatur, quorum fructus etiam pervenit ad nos ipsos.

§68 (c) Quae in alterutro systemate commendantur, in utroque esse debent, et salvis ejus principiis esse possunt. Non minus conditionalis, quam Absolutus, humilis, Deo summissus, in divinam voluntatem resignatus, fiducia divinae gratiae laetus in precibus assiduus esse potest. Vicissim non minus Absolutus quam conditionalis potest esse vigilans, ad profectus spirituales attentus, in vitandis peccatorum occasionibus circumspectus.

§68 (d) Potest unus inflari et in securitatem prolabi opinione falsa divinae gratiae, alter Pharisaeica vaitate habitus in virtutis exercitio confirmati. Potest unus desperare, quod non satis in se sentit gratiae auxilium; alter, quod non percipit propriae voluntatis ardorem. Uterque male: sed nullo partis suae praecedicio, modo ne talia ex ejus fundamentis rite colligantur.

§69 (a) Uterque in his ultra sua principia tendit, solito hominibus more excedendi in alter utram partem. Eventus nostri non se junctim praedeterminati fiunt, sed positis simul actionibus nostris; neque in nobis quicquam boni est, quod non a Deo sit datum; neque quisquam ad eum statum gratiae se venisse putare debet, in quo non magna cura opus habeat, ut certamen bono fine coronet.

§69 (b) Revera Reformatus non tollit libertatem, nisi quis chimaericam illam postulet, quae in perfecti aequilibrii indifferentia consistat: quam si tuetur Remonstrans errat: uti vicissim errat Reformatus, si tollit contingentiam, et substituit absolutam necessitatem. Nihil est prorsus necessarium in vita, nihil prorsus indeterminatum.

§70 (a) Consequentiae legitimae hominibus non agnoscentibus tribui non possunt: dogmati ipsi possunt, ex quo sequuntur. Fatendum etiam est, suspectos nonnihil pravi dogmatis reddi, qui tuentur sententiam, ex qua rite deducitur. Sed tanto minor est haec suspicio, quanto major est rei difficultas. Interim in his quidem quaestionibus putem adhibita moderatione et attentione plerumque difficultatibus exiri posse, quae magis ex hominum perplexis cogitationibus expressionibusque, quam rebus ipsis nascuntur.

§71 (a) Recte illi et vere. Expressiones sunt non tantum molliores, sed et convenientiores et veriores add.§.40.b. Nulla etiam Reprobatio est positiva,

a pravitate Reprobandi hominis independens seu absoluta, neque ea est opus.

§71 (b) Sed tamen restat, (fateor) quaestio de rationibus peccati suis Adami de quo supra satis. Caeterum nemo ob Adami peccatum damnatur, sed ob suum.

§71 (c) Non apparet, quae sint illae consequentiae ex absoluta electione, quas evitare debeant et non possint.

§72 (a) Ratio diversitatis optime peti potest ex dictis Keckermanni et similibus, de quibus supra §39. Electio ad salutem, cum sit actus gratiae, a merito et qualitatibus laudabilibus Electi independens esse potest: Reprobatio ad damnationem, cum sit actus iustitiae, a culpa seu demerito independens absolutaque esse non potest.

§72 (b) Rectissime istud; ostendimusque discrimen, tum respectu concursus Dei, qui non est nisi ad id, quod in malo bonum est; tum respectu decretorum divinorum, quae ad malum culpa non nisi permissive, ad malum poenae non absolute se habent. add. §40b.

§72 (bb) Hoc ad eos pertinet, quos vitae ratio ab his discutiendis eximit non ad eos quos professio vel ratio studiorum ad satisfaciendum difficultatibus invitat.

§72 (c) Et evitantur et expediuntur, ni fallor, difficultates, si quis superioribus conciliationibus insistat; illis quaestionibus exceptis, quibus speciatim satisfacere nec opus est, nec licet, quia seriem rerum et infinitum involvunt: veluti, cur Deus permiserit aliqua mala, cur alios prae aliis perire sinat: quanquam in his quoque quid generatim dicendum sit satis apparet ex dictis.

§73 (a) quin etiam inter diversos homines ejusdem nationis et loci. add. §53a.

§73 (b) aut quo eventus ita absolute praefiniti sint, ut sequi debeant, quicquid agas aut non agas. add. §11b.

§73 (c) quippe quae obedientibus eo ipso affutura est sufficienter. add. §29a.

§75 (a) Praedestinationem certe non adhibet, nisi quae est ad vitam.

§75 (b) Videtur fortasse sed non satis manifeste, si scilicet quaeratur de gratia per se efficaci. Nam omnia etiam ad gratiam cum circumstantiis efficacem accommodari possunt.

§75 (c) si sane intelligantur, non pugnare ostensum est et alibi passim.

§75 (d) Erunt, qui credent, consentire haec magis cum doctrina gratiae universalis et promisso bonam voluntatem habentibus auxilio. Quibus non obstat Praedestinatio vel Electio, etiam Universalistis admittenda.

§75 (e) Aliquoties notavi, hanc objectionem fieri posse etiam contra decretum non absolutum, et contra omnem certitudinem futurorum: sed sophisticam esse, cum illa certitudo apud Deum solum locum habeat, non apud nos; adeoque in praxin influere non possit: neque a causis seu mediis eventum producentibus independens aut absoluta sit eventus certitudo; nam causae eventus non minus sunt certae. Itaque cautela de evitanda desperatione et securitate utrique parti (licet inaequaliter add. §38b) opus est, et utrobique salvis primariis fundamentis locum habet.

§75 (f) Hoc non decrevit, sed praevidit ac permisit, etiam ex sententia Reformatorum sane loquentium.

§76 (a) Revera nulla propositio est in toto articulo, quam non utraque pars admittere possit. vid. §21.

§76 (b) Pro hac sententia apud Anglos Wardus alique viri docti scripsere. Contrarium defendit Gatakerus cum nonnullis rigidioribus.

§76 (c) Sunt etiam Reformati extra Angliam, qui agnoscunt, posse veram fidem justificantem in illis quoque hominibus excitari, qui postea rursus hac gratia excident, imo tandem damnentur: eaque doctrina salvo decreto absoluto optime ab iis defendi potest. Qui dissentire se ostendunt, praeter morem in Ecclesia ab antiquo receptum loquuntur: sed fortasse magis verbis quam re a reliquis recedunt; dumque conversionem, fidem, justificationem negant tois proskairois sive temporariis, et ad solos electos restringunt, videntur intelligere sublimiores quosdam horum Dei beneficiorum gradus; quanquam ita eos explicare nequeant, ut in praxi satis discerni possint. Unde nullus est hujus tam novae doctrinae usus, periculum vero non nullum. add. §38b.

§77 (a) nempe praefatione totius Commentarii in 39 Ecclesiae Anglicanae articulos.

§77 (b) Itaque et hoc ubique tenendum est, nostras annotationes nuspiam auctori, viro perspicacia et doctrina incomparabili, sed his opponi, quorum sententias repraesentat. Refutavimus autem non ipsa fundamenta utriusque partis, quae sana et conciliabilia sunt; sed sententias odiosas inde male deductas, et neutri parti imputendas aut adoptandas.